ITER TRIHEBDOMADALE ANIMÆ

Per hujus vitæ deſertum ad æternitatem profici-ſcentis.

AVCTORE

R. P. JOANNE LVDOVICO ab Aſſumptione, Carmelita Diſcalceato.



MONACHII

Apud Adamum Berg, M.DC.XXXIV.

Cum Priuileg. Sac. Cæſ. Majeſt.

DEDICATORIA

REVEREN-DISSIMO, ET IL-LVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO, ANTONIO, DEI

& Apostolicæ sedis gratia Episcopo Viennensi, Principi, Abbati Cremiphanensi, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario intimo, &c.

EXcellis Princeps Illustrissime, tot ac tantis naturæ, morumq; dotibus, vix vt discriminari possit, quæ nam cæteris dignior palmã victoriæ præripiat: non secus atque in prato odorifero, ac varijs resperso floribus, haud facilè flosculus discernitur pulcherrimus & fragrantissimus, cum alius aliter odoratum & aspectum ad se rapiat, ac vt primum decerpatur, suadeat. Verùm licet ita sit, scio attamen te laudũ non esse appetẽtem, sicut nec indigentem; quapropter his omni-

bus suppressis, traxit me, instar magnetis, paleam, & trahendo ad se rapuit, tua integerrima pietas, & probitatis fama, ita vt huic vni velut apis argumētosa insidendi sit animus. Nec mireris, si tui inter omnia me mouerit pietas, ea enim pietatis vis est & ingenium, vt in hac, in qua modò versamur, temporum iniquitate, & mundi quodammodo senectute, cum rara sit pietas, eò magis animos ad se imperiosè pelliciat, vbi semel in aliquo deprehensa fuerit, Itaque præsens tibi Opusculū deuoueo, tuæq; inscribo pietati; Opusculum inquam, ab argumento quidē, spirituale, à materia verò, non solùm Intellectus indagantis, sed potissimum Voluntatis affectantis objectum, à fauore tandem tuo sempiternum.

Nihil mihi debes, sed tuæ debetur pietati Opusculum, velut nutrimētum & augmētum illius: Nutrimentum

tum

tum quidem, quia cum in meditatione tua exardescit ignis, exarsuram de nouo præbet materiam, quâ restauretur illa, quæ calore tuo spirituali concoquitur, & in substantiam præmij essentialis transit; Augmentum verò, quia cum Iustorum semita quasi lux splendens procedat & crescat vsque ad perfectum diem, varios continet hoc Opusculum affectus, quibus per irriguum desuper acceptum, meritorum supernaturalium noua in te concrescat seges, & qui Iustus est, justificetur adhuc.

Suscipe Princeps Illustrissime TRIHEBDOMADALE hoc pium, quo Danielis, trium hebdomadarum diebus lugentis & sese fatigantis, confortatio & solamen acquiritur. Postquam enim trium hebdomadarum dies compleuit Daniel; *Tetigit me*, inquit idem Daniel, *quasi visio hominis, & confortauit me, & dixit, noli timere vir desideriorum, pax tibi, cõ-*

 forta-

fortare & esto robustus : Ita fiet Princeps Illustrissime, vt decurso hoc meo Trihebdomadali, & nonnihil Intellectu per piæ Meditationis indaginem, & Voluntate per affectuum cœlestium ardorem, sese fatigantibus, Visio non hominis, sed DEI viventis & videntis tibi contingat, in quam ingredieris & egredieris, & pascua inuenies, quibus in æternum conforteris. Suscipe proindè licet humile, veruntamen non inutile forsitan Opusculum, respice supplicem, foue Filium, porrige manum, quam ad tuos pedes prouolutus exosculor, Deum quotidiè precatus, vt te seruet incolumẽ ad publicã Ecclesiæ vtilitatem. Vale è nostro Conuẽtu Viennensi Carmelitarũ Discalceatorum, Die 4. Martij, An: 1634.

Vestræ Illustrissimæ Dominationis

Minimus in Christo Filius, & humilis Seruus

Fr. Ioannes Ludovicus ab Assumptione, Carmelita Discalceatus.

Fr. Paulus Simon à Iesu Maria, Præpositus Generalis Fratrum Discalceatorum, Congregationis Sancti Eliæ, Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

Cum librum, cui titulus est Exercitia trium hebdomadarum, à Reuerendo P. F. Ioanne Ludouico, Congregationis nostræ Sacerdote Professo, & Prouinciæ sanctissimi Sacramenti Definitore compositum, ejusdem nostræ Congregationis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinebit, ita videbitur. In quorum fidem præsentes dedimus sigillo nostro munitas, & proprio nomine ac manu subscriptas. Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ de Scala, die X. Septembris, 1633.

Fr. Paulus Simon à Iesu
Maria, Præpositus
Generalis.

Locus Sigilli ✠

Fr. Laurentius à sancto
Elia, Secretarius.

SERIES ET DISTRIBVTIO MYSTICI hujus Itineris.

Argumentum.

INstituta sunt exercitia spiritualia ad totalē hominis tàm interioris quàm exterioris reformationem, & ad internum præcipuè vultum Animæ suæ cognoscendum, tàm quoad partem sensitiuam, quàm quoad rationalem & spiritualem, & quoad omnes suos motus naturales & gratiæ, morales, actuales & habituales, & quoad minimas etiam cogitationes, locutiones & operationes, siue obligatorias, siue supererogatorias: Item ad cognoscendum finem suum, in quem creatus est, qui est DEVS super omnia dilectus, ad quem adspirat: Item ad agnoscenda vniuersa vel majora saltem impedimenta, & ad ea remouenda quæ animam retardant, quo minus DEO suo vniatur. Denique ad cognoscenda media siue adjuuamenta opportuniora & congruentiora suo statui & particulari professioni, ad perfectam cum DEO vnionem comparandam, atq;

ad

ad omnem tàm Christianam, quàm religiosam perfectionem transcendendam: Quæ omnia & singula accuratius imprimenda sunt menti sub ingressu exercitiorum. Spiritualem igitur hanc palæstram ingressurus, quoad fieri poterit, I. Locum ab omni strepitu liberum, quietum, deuotum, honestum, solitarium inquiret & seliget, in quem secedet. II. Toto tempore Exercitiorum â quibusuis alijs occupationibus & negotijs, alloquijs, curis, & hominum conuersationibus cautè abstinebit, vt solus cum solo DEO mysticũ hoc desertum ingrediatur, & ipsi soli purius vacare possit. III. Directorem aliquem pium, spiritualem, expertum & discretum inquiret, cujus ductu & sanis cõsilijs in omnibus, etiam leuioribus humiliter ac fideliter vtatur ac juuetur, & in bono promoueatur. IV. Temporis benè collocandi magnam rationem habebit, ne spiritus languor & tædium subrepat, & ideò ab initio statim diurna nocturnaque Exercitia, quoad omnes horas diei prudenter & fructuosè distribuet & ordinabit, non tamen vt se nimium alliget, sed ne confusionem aliquam otiosam incurrat. V. Libros spirituales interea lectitur⁹,

eos præſertim paucos ſenſim euoluet, qui non curioſitatem ſciendi, ſed efficacia motiua compungendi ſuggerāt, & vnà cum luce pios affectus, juxta neceſſitatem peculiarem & propriam, animæ imprimant. VI. Tempus exercitiorum potius orando, meditando, plangendo, & ad DEVM feruidè ſuſpirando (abſq; tamen cordis aut capitis violentia) quàm multum legendo, ſcribendo, vel exterius operando inſumetur. VII. Corporis etiam diſcretas mortificationes, juxta Magiſtri ſui præſcriptum admittet, tàm quòad jejunia, vigilias, cilitia, quàm quoad ſimiles carnis afflictiones.

Modus & formula hoc iter proſequendi.

Prima Septimana.

FEria 2. De fine Creationis hominis: ſub Meditationibus: Matutinâ, de Lotione pedum: Veſpertinâ, de Vilitate conditionis humanæ.

Feria 3. De grauitate, turpitudine, atque horrore peccatorum : ſub Meditationibus: Matutinâ, De grauiſſimis Chriſti doloribus in ſua paſſione: Veſpertinâ,

De

De excellentia gratiæ diuinæ, & peccati vilitate.

Feria 4. De diffidentia sui concipienda: sub Meditationibus: Matutinâ, De sudore Christi in horto: Vespertinâ, De diuersitate mortis Iustorum & peccatorum.

Feria 5. De fiducia in Deum: sub Meditationibus: Matutinâ, De Christi captiuitate: Vespertinâ, De differentia huius vitæ temporalis & æternæ.

Feria 6. De frequentatione Sacramenti pœnitentiæ: sub Meditationibus: Matutina, De fructibus Passionis Christi: Vespertina, De judicio particulari, ac retributione Iusti & peccatoris.

Sabbatho, De frequentatione Sacramenti Eucharistiæ: sub Meditatione: Matutina, De institutione huius viuifici Sacramenti: Vespertina, De amore diuino.

Dominica, De defectibus Regulæ, Constitutionum, Ordinarij, Cæremoniarum Religionis, Capituli, & aliorum actuum monasterij: sub Meditationibus: Matutina, De accusatione Christi apud varios Pontifices; Vespertina, De duabus vijs vitæ ac perditionis.

Secun.

Secunda Septimana.

FEria 2. De defectibus voti Obedientiæ erga Deum & Superiores: sub Meditationibus: Matutina, De crudeli Saluatoris flagellatione: Vespertina, De diuinis receptis beneficijs, generalibus & particularibus.

Feria 3. De defectibus Castitatis & puritatis, tàm internæ, quàm externæ: sub Meditationibus: Matutina, De spinea Christi coronatione: Vespertina, De varijs officijs Dei versum nos.

Feria 4. De defectibus voti Paupertatis; sub Meditationibus: Matutina, De luctuoso mysterio, Ecce Homo: Vespertina, De perfectionibus Sanctissimæ humanitatis Christi.

Feria 5, De defectibus humilitatis internæ & externæ; sub Meditationibus: Matutina, De Crucis Christi bajulatione: Vespertina, De perfectionibus diuinis.

Feria 6. Quomodo hucusque satisfecerit obligationi status sui, qua Christianus, qua Religiosus, & in tali Religione: sub Meditationibus: Matutina, De Mœstitia Beatissimæ Virginis ob captum filium: Vespertina, De pœnis purgatorij post hanc vitam.

Sabbatho, De defectibus proprij Iudicij ac Voluntatis: sub Meditationibus: Matutina, De Christi Domini crucifixione: Vespertina, De infinita Sapientia & scientia Dei.

Dominica, De defectibus in omnibus sensibus internis & externis, præsertim loquendo & appetendo: sub Meditationibus: Matutina, De Christi suspensione inter latrones: Vespertina, De pœna sensuum & damni in inferno.

Tertia Septimana.

FEria 2. De defectibus Charitatis cum Deo & cum proximo: sub Meditationibus: Matutina, De septem verbis Domini in Cruce: Vespertina, Quantoperè ab hominibus Deus diligi desideret.

Feria 3. De defectibus rectæ & Deiformis intentionis in omnibus functionibus sacris & exercitijs spiritualibus: sub Meditationibus: Matutina, De morte & apertione lateris Christi: Vespertina, De Dei in omni loco & re præsentia.

Feria 4. De multiplicibus defectibus orationis mentalis, exercitij præsentiæ diuinæ; Officij diuini; Rosarij & similium, &c. sub Meditationibus: Matutina, De depositi-

positione Christi de Cruce & sepultura ejus: Vespertina, De DEI, hominibus se communicandi, desiderio.

Feria 5. De defectu solitudinis corporalis: sub Meditationibus: Matutina, de descensu Christi in limbum : Vespertina, de omnipotentia DEI.

Feria 6. De defectibus variarum virtutum, & progressus ad perfectionem: sub Meditationibus: Matutinâ, de Christi gloriosa Resurrectione: Vespertinâ, de infinita DEI misericordia.

Sabbatho, De quotidiano proficiendi desiderio in vita spirituali posthac, & sanctorum propositorum: Sub Meditationibus: Matutinâ, de missione Spiritus sancti: Vespertina, de absolutissima gloria cœlesti Beatorum.

Dominica, De defectibus in cultu Beatissimæ Virginis & Sanctorum sub Meditationibus: Matutina, de infinita DEI erga suas Creaturas prouidentia : Vespertina, de Deuotione erga Beatissimam Virginē peculiari ad salutem nostram amplius & securius promouendam.

ITER

ITER PRIMÆ SEPTIMANÆ.

Feria ſecunda.

Examen Exprobratiuum.

De fine Creationis hominis.

An nouerit ſe conditum eſſe à Deo, vt illum perpetuò laudaret, coleret, eiqueſeruiret, & hac ratione cœleſtem tandem beatitudinem conſequeretur.

An ſecum expendat ſe è nihilo creatum, nullo ſuo merito præcedente, ſed ex mera diuina bonitate, ornatumque eſſe quinque ſenſibus corporis, & præclariſſimis animæ viribus, ſcilicet Intellectu, Voluntate, Memoria, vt his omnibus ad ſolius Dei gloriam, & ad ſuam ſalutem comparandam vteretur, non vt prauis ſuis inclinationibus indulgeret.

An meminerit animam ſuam efformatam eſſe ad Dei imaginem & ſimilitudinem, & quot ludibria huic diuinæ imagini intulerit, dum per ſummam injuriã, illam omnium vitiorum cœno ſæpius turpiter adſperſit.

An conſideret animam ſuam ipſiſmet Angelis ſanctis affinitate eſſe conjunctam, hinc

hinc eadem ſedulitate ac fidelitate Maje-ſtati diuinæ in omnibus ſemper obſequi debuiſſet, qua in re quoque ingratiſſimè defecit.

An recordetur omnes Creaturas hu-jus mundi viſibilis à Deo eſſe conditas, vt hominem in fine ſuo aſſequendo, ſcilicet æternæ beatitudinis, eſſent adjumento, per quas, velut ſcalas, in Deum conſcen-deret, & quàm improbè, etiam in aper-tum Dei contemptum, creaturis abuſus fuerit, ſumens indè offendendi & delin-quendi occaſionem, vndè argumentum ipſi amplius ſeruiendi elicere oportuiſſet.

An ſciat, eatenus creaturis modera-tè, ſobriè ac prudenter vtendum eſſe, qua-tenus hominem in vltimum finem dedu-cunt, cœteroquin omnem inordinatum amorem & affectum erga illas prorſus ex animo eliminandum eſſe, ne nos à fine, in quem conditi ſumus, diuertant.

An denique cognoſcat veram homi-nis Chriſtiani perfectionem in nulla alia re poſitam eſſe, quàm in vera cognitione ineffabilis bonitatis diuinæ, & in vera ag-nitione vilitatis, miſeriæ, nullitatis, affe-ctuumque noſtrorum naturalium ad om-nem malitiam procliuium. Item in per-

fecto

fecto Dei amore. Tandemque in nostræ propriç Voluntatis resolutissima abnegatione, ejusdemq; in diuinam voluntatem perfecta resignatione, nimirum, vt homo se totum, non solum omnipotenti Deo, sed & propter ipsum omni se creaturæ subijciat, nullam aliam ob causam, quam vt faciat id, quod coram Deo placitum est, & ejusdem gloriæ conueniens.

Hæc puncta toto hoc die attentè ruminãda sunt, vt agnitio obligationis erga Deum cordi efficaciter imprimatur, quod etiam in alijs subsequentibus examinibus obseruandum est.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De lotione pedum Apostolorum.

CHristus amore suauissimo plenus antequam ad acerbissimam mortem pro nobis obeundam pergeret, suos Apostolos indè mœstos afflictosq; amanter solatus est, inquiens: Filioli mei, non turbetur cor vestrum, non relinquam vos orphanos, expedit vobis vt ego vadam,

vadam ergo & iterum veniam ad vos: Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

Vt Saluator immenſum ſuum amorem Apoſtolis propalaret, finitâ cœnâ, ſurgit à menſa, poſitisque veſtibus linteo ſe præcingit, & miſsâ in peluim aquâ ſuorum diſcipulorum pedes lauare cœpit, ac linteo tergere.

En vt ſummà cum humilitate cœli terræque Dominus, & Rex æternę gloriæ, puriſſimis ſuis manibus, cœno conſpurcatos pedes Apoſtolorum non abluerit modò, ſed & genuflexus oſculatus ſit.

Petrus Apoſtolus Domini ſui authoritate, & Magiſterij dignitate perterrit⁹, pedes lauandos ſubtrahit, cum admiratione vehementer exclamans: Domine tu mihi lauas pedes? cui Dominus: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea. Et iterum: Si non lauabo te, non habebis partem mecum.

Petrus auditâ Dominicâ comminatione, niſi permitteret ſibi lauari pedes, ſtatim acquieuit juſſis Chriſti, inſuper & caput & manus lauandas, promptè obtulit, cui Dominus: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet.

Cœteri

Cœteri Apoſtoli omnes præ teneritudine cordis, & intimo amore in humillimum ſuum Magiſtrum coram ſe humi reptantem, vberrimè fleuerunt, attendentes ſuam pariter vilitatem, & dignationem obſtupeſcendam Filij Dei verſum ipſos.

Solus impijſſimus Iudas ſuperbiâ tumidus remanſit, vt etiam vltra nefarios ſuos & ſacrilegos pedes, Domino infinitæ Majeſtatis lauandos obtruderet, quos benigniſſimus Dominus humiliter & amanter valdè apprehendit & lauit.

Impijſſimus traditor hac Chriſti humanitate ac humilitate nihil melior factus, in concepto ſcelere obduratus permanſit, licet interius in corde à Saluatore fortiter ad reſipiſcentiam & pœnitentiam inclamaretur in hunc fortè modum: Animaduerte obſecro, & tecum quantocyus expende, ô Iuda, quem nam tradere conſtitueris, ne infœlix te ipſum condemnare velis, abſterreat te mea hæc infinita dignatio & humilitas, conuertere igitur, conuertere inquam, ne perpetuæ mortis telo confodiaris.

Chriſtus finitâ pedum lotione defatigatus, veſtimenta ſua reſumpſit, & effica-

citer Apostolos ad sui imitationem exhortatus est, dicens: Scitis quid fecerim vobis, Si ego Dominus & Magister laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes: Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Hujus diei diuina præsentia sit; **Christus lauans pedes suorũ Discipulorum**: quæ per subsequentes actus particulares stabiliatur, tanquam Memoriali quodam perenni, prout sequuntur.

v. g.

O Mi dulcissime IESV Christe, Ego N. vilissimus & immundissimus peccator, suppliciter te adoro, laudo, benedico, & amo, referens tibi immensissimas gratias, quia tàm humiliter te accinxisti, vt tuorum Apostolorum pedes lauares.

O Sanctissime Domine mi IESV Christe, Ego N. &c. vt supra: Quia in lotione pedum tuorum discipulorum adeò dignanter humi reptasti, genibus flexis, sordidos eorum pedes apprehendendo, abluendo, & linteo abstergendò.

O humilime Redemptor mi: Ego N. &c. vt su-

vt ſupra: Quia non horruiſti etiam reprobos ſceleſtiſſimi Iudæ pedes tuam Majeſtatem ſuperbè deſpicientis abluere, qui ex tanta Magiſtri ſui manſuetudine meritò reſipiſcere debuiſſet.

O benigniſſime Domine IESV Chriſte: Ego N. &c. vt ſupra: Quia abluendo Apoſtolorum tuorum pedes, ipſorum pariter corda, ſuauiſſimo internæ compunctionis vnguento deliniuiſti.

O Clementiſſime Domine DEVS meus, Ego N. &c. vt ſupra: Quia hoc actu infinitæ tuæ humilitatis, corda Apoſtolorum tuorum nouis vinculis amoris & reuerentiæ tibi tenerrimè obligaſti.

O mitiſſime Domine mi, Ego N. &c. vt ſupra: Quia puriſſimo ore tuo non dedignatus es, abjectis diſcipulorum pedibus dulciſſima infigere oſcula, in ſempiternæ pacis confœderationem.

O amantiſſime Domine mi IESV Chriſte, Ego N. &c. vt ſupra: Quia poſt lotionem pedum, diſcipulos tuos ſermone efficaciſſimo ad tam excelſæ humilitatis exemplum & imitationem prouocaſti.

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De Vilitate conditionis humanæ.

HVmani corporis pulchritudo aliud non est, quàm fimus quidam putrid⁹, tempore hyemali modicâ niue coopert⁹, qui licet foris albedine candeat, subtus tamen fœtoribus immensis scatet: Sic corpus humanum nonnunquam pellem formosam præ se fert, & intus intollerabilibus immunditijs plenum est, & tandem per infirmitates & mortem in abominabilem saniem, in vermes & serpentes, & in nigerrimum puluerem vertitur.

Hujus vilitatis indignitas, non ex corpore modo, sed etiam ex anima deprehendi potest, quæ cum in peccatum aliquod mortiferum lapsa est, adeò deformis redditur, vt Deo & Angelis, & omnibus Paradysi Sanctis summè odiosa sit: Et ideò, si quando è suo corpore in tàm miserabili statu egreditur, ne fœtore intollerabili præsentem mundum inficiat, absque mora in inferni abyssum, velut in carcerem tenebrosum demergitur.

Est præterea homo omni ex parte millenis

lenis miſerijs circumdatus, & vndequaq; pauperrimus, nam quoad corpus, naſcitur nudus in tàm extremâ inopia, vt omnes aliæ creaturæ, per modum Eleemoſynæ, ipſi ſua operimenta communicent, dũ ouis lanam, bos pellem ſuam elargitur, & ita de cæteris: Quod verò ſpectat ad animam, notum eſt, illam eſſe priuatam virtutibus, quas ex ſe ipſa habere nequit, niſi ſupernè concedantur.

Fragilitas humana, tàm corporis, quàm animæ, immenſa eſt, vt nulli etiam infirmo, quantumuis viribus deſtituto, conferri poſſit: nam quoad corpus, ſunt innumera ejus faſtidiâ, tœdia, nauſeæ, mœrores, à quibus ſemetipſum eripere non valet: Quoad animam verò, homo adhuc multo debilior eſt, quod ſatis ſuperque conuincunt mille ejuſdem tentationes, à quibus facilimè ſuperatur, coacta cum Apoſtolo vociferari: Non quod bonum volo, illud facio, ſed quod nolo malum, hoc ago: Et vt verbo dicam, licet homo creatus ſit ad vitam æternam, ejus tamen conſequendæ gratia, ex ſe ſolo ne vnum quidem greſſum, ſeu vel minimum opus meritorium, abſque ſpeciali Dei auxilio, facere poteſt.

Ignorantia quoque hominis omni ex parte creuit, vt nec futura cognoſcat, neque abſentia, neque præterita, imò in præſentibus multoties hallucinetur, neque ſeipſum ſciat, & ſi quid tandem multo cũ labore addiſcit, idipſum per exiguum valdè eſt, ac pluribus erroribus & incertitudinibus obnoxium, & per temporum rerumque viciſſitudines miſera obliuione deletur.

Spectata ignorantia animæ circa ſpiritualia, grauior occurrit infœlicitas, ibi enim periculoſiſſima viſuntur nonnunquã præcipitia, denſiſſimæ mentis obnubilationes & errores, à via veritatis ac ſalutis abducentes, ibi importunæ & terribiles tentationes miſellam animam vſque ad mortiferum lapſum pertrahentes, & in vltimum ſæpè interitum demergentes, quibus omnibus, & infinitis alijs miſerijs humanis conſideratis, mirum eſt ſi homo non ſemetipſum vſque ad inferni nouiſſima deſpiciat.

Neſcio certè, cur homo de vlla re valeat gloriari, quicquid enim habet, ſiue corpus attendat cum ſuis ſenſibus & membris, ſiue animam cum ſuis viribns ac potentijs, id totum Dei ſolius eſt; quare vanum

num ac ſtultum eſt, de alienis bonis velle gloriari.

Quod ſi noſſe cupias quid ſit homo, vnico verbo dicam, homo reſpectu Dei minor eſt, atque pauperior, quàm ſit minima formica reſpectu totius vniuerſi; Imò vt verius loquar, nihil eſt homo, nihil habet, nihil valet, nihil ſcit, & tamen Deus incomprehenſibilis Majeſtatis dignatus eſt pro tàm turpi ac vili nihilo, non ſolum incarnari, ſed & mortem acerbiſſimam perpeti.

I. Actus Interni.

Sub eadem Dei præſentia.

NOuiſti Domine mi, quod ſim non tãtùm puluis & cinis quòad corpus, ſed & ipſa ſanies atq; putredo; Et quoad Animam, ipſa inſipientia, ignorantia & malitia, cur ergò coram vniuerſis tuis creaturis non me promptiſſimè ſemper vilipenderem?

O me vas ſordidiſſimum, omni bono opere vacuum, quantumuis Chriſti ſanguine ſignatum, vt proindè jure merito in cunctorum deriſionem verti debeam.

OMninò verum eſt, Domine mi IESV Chriſte, quod ſi ſuperbiſſimo infim' locus debeatur inferni, mihi certè non niſi abyſſus Tartari ſub Lucifero, ob ſtolidam meam arrogantiam & turpiſſimam vanitatem ex nunc debebitur.

Heu quàm fœdum & ignominioſum mihi eſt, tot peccatorum immunditijs coinquinatum, adhuc audere in Sanctorum hominum conſortio me comparere, qui in publicum ſterquilinum exturbari jam pridem promeruerim?

Ah ah Domine mi, DEVS meus, ſatis ſuperque jam conſtat, mundi hujus etiam qualeſcunque calumnias, opprobria, deſpectus & irriſiones multò minoris eſſe, quàm vt mihi tam infami vſurpatori diuini honoris ſufficiant, ad omnimodam vilitatem meam vel leuiter ſaltem adumbrandam.

Humiliabitur profectò deinceps anima mea vſq; ad mortem coram diuina Majeſtate, Deo meo viuo & vero, quem hucvſq; toties per millenas ſanctorum mandatorum ejus transgreſſiones, temerè & ſacrilegè deſpexi.

Domine mi Ieſu Chriſte, tibi ſoli honor & gloria in ſæcula ſæculorum, mihi verò,

qui

qui turpissimus sum vermiculus, & ipsa plebis Christianæ vilissima abjectio, decerni debet non immeritò omnis confusio, irrisio & explosio.

II. Actus Externi.

QVælibet aliorum dicteria, & quaslibet subsannationes aut vilipensiones, graui & constanti vultu modestè ꝑpter Deum dissimulare. In exercitijs commendabilibus nullis vanæ lætitiæ signis aut gestibus extolli. Suas imperfectiones siue naturales siue morales coram alijs (dum absq; scandalo fieri potest) non facilè excusare. Vehementer Christi causâ & amore desiderare ab vniuersis hominibus pro stolido & inepto haberi. Semetipsum neq; verbis neq; signis laudare, neque vnquam hoc ab alijs coram fieri permittere. Vniuersos palpones tanquam pestem euitare. Inuitus proprias laudes sentire, & discretè interrumpere ac diuertere. Actualiter aliquam notabiliorem suam & habitualem imperfectionem præ oculis semper habere, ne sui obliuiscatur. Preces aliorum pro se indigentissimo humiliter datâ occasione postulare. Cranium mortis & ossa mortuorum aliquoties

manibus

manibus pertractare, vt sui luctuosi finis meminerit. Designare sibi fidum aliquem spiritualem amicum, cui certis temporibus suas reuelet imperfectiones cum magna compunctione, ejusq; quàm humillimè sustineat correptione.

Affectus igitur generalis ex vtraque tàm Matutina quàm Vespertina Meditatione cruendus, erit Suiipsius Cognitio. Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Matutina Meditatione.

SIquidem Christus Dominus Saluator mundi, innocentissimus, & altissimi Dei Filius, causâ nostri tàm profundè se coram discipulis, etiam Iuda Traditore abjecerit, quid nî Ego omnium criminum fœtoribus coinquinatus, & abominabili pannomenstruatæ similis factus, extremã meam vilitatem non agnoscam, vt me vilipendere adhuc dubitem vel erubescam?

Ratio ex Vespertina Meditatione.

NVnquid non mea fragilitas, nullitas, debilitas, inconstantia, vilitas, ruditas,

tas, insipientia & ignorantia, abundè satis testantur, quod in Creaturarum omnium nouissimo loco semper quàm abjectissimè sedere debeam?

Feria Tertia.

Examen Exprobratiuum.

De grauitate, turpitudine atque horrore peccatorum.

AN vnquam sibi ob oculos seriò posuerit peccatorum turpitudinem, fœtorem & malitiam, vt illa propter DEVM summè dilectum cordialiter detestaretur ac fugeret.

An peccandi occasiones tàm remotas quàm proximas, vnquam tàm studiosè euitarit, vt potius mortem subire paratus fuerit, quàm illis sese intrudere.

Quàm crebrò vniuersos corporis sui sensus & animæ potentias per infrenes & prauos suos appetitus, velut speluncam latronum, dœmonibus locarit, non tantùm qua sæcularis, sed & qua Religiosus.

Qualiter nullum præceptum Decalogi & Ecclesiæ reperiatur, quod per omnem vitam non innumeris vicibus præuaricatus sit, vel cogitatione, vel verbo, vel opere.

Quàm

Quàm pertinaciter ac malitiosè plerumq; peccauerit in DEVM viuum & verum, & omnia inſpicientem, etiam remordente & inſaniente conſcientiâ, ſine rubore & pudore, quaſi fabuloſum eſſet, quod de judicio diuino & æternâ damnatione peccatoribus obduratis infligenda, fides Catholica prædicat, vel ſacrę annuntiant ſcripturæ.

Quàm ſemper abſq; vllo DEI timore, pagani inſtar vixerit, abſq; vlla ſollicitudine inquirendæ propriæ ſalutis.

Quàm infœliciter tempus pretioſum, à DEO ad pœnitendum miſericorditer conceſſum, vſq; in præſentem horam ingratiſſimè ſemper perdiderit.

Quàm inſenſibilis factus ſit ex inueterata peccandi conſuetudine, vt nullis diuinis inſpirationibus aditum in animam, peccatis jam obrutam admittat, neq; vllis bonorum exemplis ad reſipiſcentiã prouocetur.

Quænam & qualia ſint iſta peccata habitualia, in quibus actualiter, velut jumentum in ſtercoribus ſuis deliteſcit, an tandem illa corrigere velit, & cur non ſtatim hoc momento?

An deſideret efficaciter ex periculoſiſ-

ſimo

ſimo peccatorum ſtatu emergere, & quibus medijs.

An ſenſum improbitatis & malitiæ, turpitudinis & damni peccatorum probè cognoſcat, & an miſericordiam DEI infinitam, illius conuerſionem ſeriam præſtolantis, quâ par eſt, humilitate ac fiduciâ attendat ac ponderet.

An D. Virginis ſubſidium, & aliorum Sanctorum patrocinium & interuentionem cordialiter imploret, vt à ſtatu peccatorum quàm citiſſimè ad meliorem frugem reduci queat.

Quo fletu, dolore, quâ compunctione, & vitæ melioris ineundæ propoſito ſe coram diuina Majeſtate humiliter proſternat, miſericordiam deprecetur & veniam, vt poſthac in ejus amicitia ac gratia viuere mereatur.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De grauiſſimis Christi doloribus in ſua paſſione.

INnocentiſſimus Saluator noſter, ſupra omnem crudelitatem, & contra omnes leges humanitatis, crudeliſsimè, amore

Re-

Redemptionis noſtræ, in monte Caluariæ interemptus eſt, pro libitu, furia ac rabie, atq; odio mortali injuſtiſsimæ ac peruerſiſsimæ voluntatis inimicorum ſuorum infenſiſsimorum.

Fuerunt vniuerſa Chriſti tormenta eò ferociora & crudiora, quò delicatiſsimæ ejus carnis perfectior fuit conſtitutio, humorum harmonia æqualior, proportio integrior, & tactus viuacior, adeoque omnium dolorum ac pœnarum capacior, ita vt minima etiam Chriſti vellicatio eum acerbius torſerit, quàm aliud quodvis corpus humanum, etiam vulnera hiantia, quippe ab ipſomet ſancto ſpiritu longè perfectiſsimè fabricatum fuerat corpus Saluatoris.

Acceſſerunt ad horum dolorum cumulum & augmentum multiplices grauiſsimæ infamiæ, injuriæ, opprobria, & horrẽdæ blaſphemiæ, quibus nomen ſanctitatis ejus proſcindebatur, cum enim vt Propheta, Meſſias, & vt Filius Dei in tota illa terra coleretur & adoraretur, ignominioſiſſimum, pati etiam quamcunque pœnarũ, quas pertulit, præſertim in ciuitate toti mundo celebri, & in die ſolemniſſimo feſtiuitatis Paſchalis, quorſum omnes conflaxe-

fluxerant, vt huic inaudito ſpectaculo & tragœdiæ cupidè intereſſent.

Fuerunt Chriſti Domini noſtri dolores omnes interni & externi, omneſque ejus contemptus abſque vllo temperamento intenſiſſimi, cum enim amor illius in humanum genus extiterit infinitus, voluit, vt præ feruentiſſimo patiendi deſiderio, cauſa ſalutis noſtræ, omnes quoque preſſuræ, quas tollerabat, eſſent omninò doloroſiſſimæ, ideoque omnes conſolationum portas ſibi ipſi occluſas ſeruabat, ne vel minima ſolatij guttula poſſet irrepere, fuit namque à Patre æterno derelictus, Diſcipuli aufugerant, Inimici ejus etiam agonizanti peſſiimè inſultabant.

Creuit afflictio Redemptoris ſupra modum ex intima compaſſione ſuæ chariſſimæ & innocentiſſimæ Matris, quippè ex doloroſo affectu cor ej⁹ diuinum velut acutiſſima quadam lancea ſauciabatur, nam cum ipſam poſt Deum, tenerius amaret, pro hujus amoris menſura indicibiliter affligebatur, cum illam ſui ergo maternis doloribus confici intueretur.

Inſuper grauiſſimè torquebatur Chriſtus, cum videret adeò ſe perperam ab ijs tractari, quos impenſius dilexerat, qui-

busque tot contulerat beneficia, & etiam-num erat collaturus, quandoquidem vice amoris reciproci, abominabilem ingratitudinem, & innumeras execrabilesque injurias à populo illo Iudaico reciperet, quo ſcelere non potuit non acerbiſſimè torqueri.

Alia terribilium Chriſti dolorum cauſa fuit, quod in ipſo patiendi actu clarè cerneret innumerabilium malorum Chriſtianorum æternam perditionem, qui immenſum Redemptionis beneficium eſſent ingratiſſimè neglecturi, neque vllum indè animarum ſuarum profectum, ex culpa ſua, hauſturi, quare non potuit non diriſſimè torqueri Criſtus, videns ſe magna ex parte dolorum ſuorum fructu priuari.

Sed & grauiſſima alia Chriſti pœnarum cauſa diſcutienda remaneret, qua ipſius acerbi dolores vltra omnem modum intendebantur, videlicet, diſtincta claraque cognitio omnium & ſingulorum peccatorum, quæ ab hominibus vel à mundi exordio commiſſa fuerant, vel de præſenti fiebant, vel denique in ejusque finem patranda erant, pro quibus tamen ſingulis tormenta ferociſſima tollerabat. Verùm, vt hujuſmodi dolorum occaſio magis pa-

teat,

teat, aduertendum eſt, benedictiſſimam Saluatoris animam in ipſo ſuæ Creationis inſtanti, ſtatim vidiſſe clarè diuinam eſſentiam, judicaſſeque rem dignam, vt ab vniuerſis Angelis & hominibus, abſq; intermiſsione adoraretur, amaretur & laudaretur, eo quod ipſi infinita deberetur gloria, quam ipſe illi ex totis amoris viribus ineffabiliter deſiderabat: Quocirca cum vna ex parte intueretur diuinitatem omni gloriâ & honore dignißimam: Ex alia verò cerneret vniuerſa hominũ peccata, tàm præterita, quàm præſentia & futura, in ſummam diuinæ Majeſtatis injuriam & contemptum cedere, non potuit non ex hac perſpicacißima cognitione & collatione inter ſe, pendens in Cruce, quaſi integro dolorum mari obrui, quia ſicut amor ejus in Deum erat abſque menſura, ſic & dolor abſque numero & menſura, quod ſeriò valdè expendendum eſt.

Hujus diei diuina præſentia ſit: Chriſtus mœſtiſſimè humani generis ingratitudinem deplorans. & pro Memoriali, ſequentibus actibus ſtabilietur.

O patientiſſime Domine mi IESV Chriſte, quàm ineffabiliter & crudeliter ſupra

omnem prorſus æſtimationem ab infenſiſsimis tuis inimicis, præ nimio furore rabidis, propter mei ingratiſsimi peccatoris ſalutem, tempore acerbæ paſsionis tuæ agitatus fuiſti?

O innocentiſsime Redemptor mi, ex afflictiſsimo ſanè corde intueor tenerrima tua, ſpecioſiſsima & virginalia membra, à Spiritu ſancto in vtero puriſsimæ Virginis compoſita, ferociſsimis doloribꝰ pro me peccatore viliſsimo dilaniata & excruciata fuiſſe.

O manſuetiſsime Domine mi IESV Chriſte, luget profectò ex intima tui compaſsione cor meum, licet aliàs obſtinatiſſimum, quod cauſa meæ ſalutis, in majoribus tuis anguſtijs, non tantùm à tuis diſcipulis, ſed à Patre quoq; cœleſti derelinqui voluiſti.

O dulciſsime Domine mi IESV Chriſte, quàm acerbè afficiebaris ex compaſsiua afflictione, mœſtiſsimæ & innocentiſsimæ Genitricis tuæ ſub patibulo fortiter ſtantis, cui etiam intimè condoleo?

O miſericordiſsime Domine, Saluator mundi, non dubito vnam ex majoribus tuis afflictionibus extitiſſe, quod in cruce conſtitutus præuideris innumerabilium anima-

animarum ruinam & perditionem , quæ ſuâ culpâ miſerabiliter eſſent interituræ, eò quòd ex ſuprema ingratitudine , nullam omninò tuæ amariſsimæ paſsionis rationem eſſent habituræ.

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De Excellentia gratiæ diuinæ & peccati vilitate.

EST gratia diuina aliud nihil, quàm cœleſtis quædam qualitas animæ infuſa, tantæ efficaciæ ac virtutis, vt hominem quaſi in Deum transmutet, ita vt de diuina puritate ac nobilitate ſingulari quadam ratione participet, ſine eo quod deſinat eſſe homo, inſtar ferri candentis, abſque eo tamen, quod perdat ſubſtantiam ferri.

Poteſt triplex animæ ſtatus expendi, ſcilicet Naturalis, gratiæ, & peccati mortalis : Anima in ſtatu naturali ſimilis eſt cryſtallo immenſæ claritatis: In ſtatu vero gratiæ conſideratur, qualiter in centrum hujus cryſtalli illabatur Deus, abſque vlla comparatione millies milleſies clarior,

lucidior atque ſplendidior illo ſole ele-
mentari, diffundens ibi ſuæ incomprehẽ-
ſibilis Majeſtatis radios fulgidiſsimos, &
omnes animæ potentias tanta venuſtate,
pulchritudine, donorum cœleſtium gra-
tiſsima varietate, ac ſempiternæ verita-
tis ſplendoribus adimplens, vt cuncta vi-
deantur diuina: Veruntamen, dum Anima
labe mortali inficitur, confeſtim ex prędi-
cti criſtalli centro, diuinus ille Sol, vnà
cum omnibus ſuis ſplendoribus recedit &
euaneſcit, adeò vt ex ejus abſentia quæ-
dam obſcuritas, emortuis carbonibus ni-
grior ac turpior, nullis denſiſsimæ noctis
tenebris comparanda, introducatur, fit-
que ex felici infeliciſsima, ex opulenta
miſerrima, ex gratioſa abominabiliſsima,
ex Dei amica miniciſsima, & capitabis il-
lius hoſtis.

Tanta eſt autem Animæ in gratia exi-
ſtentis pulchritudo & formoſitas, vt nulli
rei creatæ ſufficienter comparari valeat,
ſuperat enim omnem decorem ac ſpecio-
ſitatem ſolis radiantis, ſtellarum, viridan-
tium arborum, frondium, pratorum flo-
rentium, metallorum fulgentium, pretio-
ſarum margaritarum, jucundè lucentium,
omniumque aliarum rerum ſiue natura-

lium!

lium, siue artificiatarum, addita quoque pulchritudine corporum humanorum, etiam naturali decore spirituum beatorum, quorum omnium ornatū simul acceptum & vnitum, absq; vlla controuersia multis partibus antecellit.

Deus ipse Animæ justę suauitate ac pulchritudine summè capitur, eamque sibi in dilectissimam filiam, & dulcissimam sponsam asciscit, atque in illa suas requirit delitias: Et vt paucis dicam, eousque excrescit Animæ sanctæ venustas, vt si ad vnicum solummodò momentum humanis oculis conspicienda obijceretur, præ stupore & admiratione illius absolutissimæ formositatis, omnes homines mente excederent, & à sensibus alienarentur.

Insuper Anima justa adeò amabilis & accepta est, vt ipsam vniuerso præferat mundo, pro cujus redemptione propriam suam vitam perdere, & pretiosum suum effundere cruorem non dubitauit: Imò omnia opera talis Animæ sunt meritoria vitæ æternę, polletque tanta fortitudinę, vt etiam minimus gradus gratię sufficiens sit ad profligandos omnes dæmones infernales, ad expurganda vniuersa peccata, &

ad vincendas omnes totius mundi tentationes, etiam grauissimas.

Priuilegia diuinę gratiæ in Anima justa sunt eximia, constituitur enim per adoptionem filia Dei, & hæres regni cœlestis, digna vt in librum vitę inscribatur; Vlteriùs introducit in illam omnium virtutũ ornatum, planat asperitatem mortificationis, suaue jugum Domini ostendit, sanat fragilitatem humanam, & reformat vniuersas animę potentias; Deus quoque in tali anima moratur tanquam Rex in regno suo, Capitaneus in suo exercitu, Paterfamilias in sua domo, Ludimagister in sua schola, & pastor in suo grege, consolationibus Spiritus Sancti eam replens, & in omnibus ad beatitudinem sempiternam dirigens.

Ex aduerso autem non solum nihil fœdius neq; turpius anima peccatis infecta excogitari potest, cujus tantus est horror, vt optimè cum infernali diabolo conferri queat: Verùm etiam Deus ipsam adeò odit, vt vix tollerare possit, proindè cuncta opera talis animę, licet in se bona, coram tamen oculis diuinis nullius planè meriti aut momenti cẽsentur; Cæterùm adeò debilis est, vt etiam minimę occurrenti tentationi

tationi nequeat reſiſtere, quin non ſtatim victa, in peccati præcipitium ruat.

Anima in ſtatu mortifero fit dæmonum infœlix mancipium, immundiſsimis vitijs ſcateat, ita vt etiam cogitatu horrendum ſit, latrones infernales ibidem cum ſumma malitia, pro ſuæ peruerſæ voluntatis libitu ſingulis momentis, tanquã in cœno ſpurciſsimo, inſtar porcorum viliſsimorum nequiter volutari, & tanquam in ſpelunca latronum immorari.

Degit Anima peccatrix in palpabilibus ſemper tenebris, & cœci inſtar, ad quemlibet greſſum offendit ac labitur, plena eſt ignorantijs & inquietudinibus, adeoque inſenſata, vt cœleſtem gloriam pro ſæculi hujus vanitatibus, & amicitiam diuinam, pro ſtercoribus voluptatum carnalium diuendat, non horret judicium diuinum, neque mortis inopinatæ recordatur, anguſtijs, amaritudinibus, triſtitijs & afflictionibus internis frequenter vſq; ad deſperationem tabeſcit, & tandem improbâ rugiente conſcientiâ, impœnitens in infernum demergitur.

I. Actus Interni.

O Domine Deus, incuruatus omninò ponderosissimis meorum multiplicium criminum vinculis, coram te adsto totus tremens & confusus, ita vt non audeam vel oculos meos præ ingenti pudore attollere, neq; mihi vlterius est respiratio, quia nimis irritaui iram tuam, & malum coram te feci, negligens voluntatem tuam, & temerè transgrediens mandata tua, quæ vtiq; custodire debuissem, statuens abominationes, & multiplicans tot offensiones, sed heu me miserum! nunc saltem te donante flecto genu licet impij, contriti tamen cordis mei, deprecans instantissimè veniam & misericordiam.

Peccaui Domine, ah nimium proteruè peccaui, idcircò exposco suppliciter indulgentiam, rogans ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neq; in æternum irat9 reserues mala mihi, & me justè condemnes, tu enim es Deus meus benignus, longanimis & misericors, & Deus verè pœnitentium, vt in me licet indignissimum, tuam tamen digneris ostendere infinitam bonitatem, ne peream.

O dilectissime Deus mi, vtinam nunquam in aliquo contra te deliquissem, sed proh dolor, coram te omninò reus sum, ideò

deò reuinctis post terga manibus more
atronum, dejecta præingenti pudore, lu-
idâ in terram facie mea, perpetim mœ-
tissimus incedere deberem, in testimoni-
im vehementissimi doloris, quo affatim
premor, quia tàm immensam bonitatem
tuam huc vsque semper improbè lacessi-
uerim.

Ah Iesu mi dulcissime, quid nunc infe-
lix ego peccator consultius agere potero,
quàm vt in pauimento, cilicijs & cinerib9
strato humiliter sedeam, vultum meum
contritum genibus operiam, & inuere-
cundam meam frontem terræ allidam, &
suspirem in cœlum, vt vel sic nefandorum
meorum criminum aliquam à te indulgē-
tiam obtinere merear.

O mitissime Domine Deus meus, tun-
dam ergò & contundam imposterum in-
ter perennes gemitus, & effusissimas con-
triti cordis mei lachrymas, hoc ingratum
& à sceleribus obduratum pectus meum,
si fortè ex tua pijssima misericordia, ad
salutarem tandem concipiendam pœni-
tentiam mollefieret.

O mi Iesu, miseram meam animam præ
conscientiæ amaritudine prorsus obmute-
scentem, suppliciter tibi offero, luce gra-
tiæ

tiæ tuæ diuinæ misericorditer illustrandam, ne tenebris peccatorum prorsus obruatur.

II. Actus Externi.

DEflere in secreto jugiter propria & aliorum peccata, cum frequentibus pectoris tunsionibus. Cilicia, catenas acutas, & similia pœnitentiæ instrumenta, nudæ carni applicare. Durius cubare, ligno vel lapide sub ceruicali posito. Disciplinas acriores sibimet infligere. Nudis genibus supra aliquid asperum genuflectere. Manibus in crucem protensis ad diutiorem delassationem stare. Barbam vel capitis capillos, sicut & brachia nuda vel tibias acrius vellicare. Colaphos sibi fortiter imprimere. Chordulis subtilioribus arctius membra constringere. Vigilias noctis in oratione producere. Guttulas ceræ vel seui ardentis in nudam carnem dimittere. Vrticis se fricare. In ore absynthium, vel simile quid quod cruciet, diutius masticare. Iejunare frequentius ac diutius, licet discretè. Abstinere à cibis delicatioribus, quibus irritari consueuit gulositas, etiam à vino, condimento salis, à fructibus, caseo, &c. Modicum valdè vini bibere,

bere,

bere, aquâ benè dilutum, vel etiam aquã puram. Ad refrenandam auiditatem appetitus lentius aliqua pia consideratione comedere. Meliores & sapidiores bolos Christi amore relinquere. Semel tantùm in prandio vel cœna bibere, id est, vnicum haustum. Injurias aëris, id est, frigus, æstum & hujus generis plura æquanimiter ferre. Infirmitates corporales, quas Deus immiserit, gratanter acceptare absque querelis, loco pœnitentiæ.

Affectus igitur generalis ex vtraque tàm Matutina quàm Vespertina Meditatione eruendus, erit: Peccatorum Contritio: Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

PAter cœlestis ad mea delenda peccata, proprio dilectissimo & vnigenito suo filio non pepercit, quin eum permitteret sæuissimis vsq; ad mortem excruciari supplicijs; quid nî ergo Ego vilissimus & reissimus peccator, mihi amore ejus & imitatione parcere non debeo, quin crimina mea multis singultibus deplorem, & memet-

metipsum per salutarem pœnitentiam de me ipso vindicem?

Ratio ex Meditatione Vespertina.

CVm sit tàm ineffabilis diuinæ gratiæ pulchritudo & excellentia, quæ non nisi per peccati improbitatem destruitur, jure meritò omnem operam nauare debeo, vt ad tantum bonum consequẽdum, omne genus peccati summè oderim; & de admissis delictis salubriter conterar.

Feria quarta.

Examen Exprobrationum.

De diffidentia sui concipienda.

QVàm ordinariè, & quàm semper ferè tuum in omnibus rebus dictamen secutus sis: Vndè mirum non est, quod turpissimè & grauissimè sæpius sis præcipitatus in varia vitiorum genera, quippè vulgare dictum est: Qui sibi ipsi nimium fidit, stulto fidit.

Totum tuum animæ damnum indè ꝓvenit, quod propriam tuam paupertatem, fragilitatem, miseriam, & nihilum, huc vsq; nunquam vt par est, expenderis, scire

ſcire namq; te oportebat, quæcunque hominis bona ad tria capita reduci. v.g. I. ad Naturam, videlicet corpus & animam. II. ad Potentias Animæ, Intellectum, Voluntatem, Memoriam, ad ſenſus corporis, viſum, auditum, guſtum, tactum, odoratum. III. Ad operationes ſiue exercitia dictarum potentiarum & ſenſuum, quæ omnia & ſingula à temetipſo, abſque peculiari DEI concurſu, nec acquirere, nec acquiſita conſeruare potes, ſiquidem totaliter à DEO dependeas, à quo omnia accepiſti, cur ergo tibi ipſi tàm ſtolidè fidis, cum ex te ipſo non modò nihil habeas, ſed nec habere poſſis, tàm extremæ debilitatis & impoſſibilitatis eſt miſer homo, vt culice inferior ſit.

An vnquam tecum expenderis, quod homo ad faciendum opus bonum ac meritorium ex ſeipſo, non aliter impeditus ſit atque grandis aliquis lapis ad motum ſurſũ? Imò quod eandem propè inclinationem habeat ad malum, quàm ponderoſiſſimus lapis deorſum?

An aliquando conſideret, quod ſi homo in actionibus naturalibus à ſe ſolo nihil valeat præſtare, multominus id poſſit in ſupernaturalibus, cujuſmodi ſunt, credere,

dere, ſperare, amare DEVM, ſuper omnia, conteri de peccatis, &c. in quibus non ſolum generalis, ſed & ſpecialis DEI concurſus requiritur, quo Intellectus & Voluntas particulariter adjuuantur, vt hujuſmodi actus dignè & meritoriè producere valeant.

An non expreſsè hanc tuam impotentiam animaduertis actu practico? quoties enim habitualem aliquam imperfectionem correcturus, adhibito etiam, poſt frequentes preces, aliquo pœnitentiæ rigore, nihilominus poſt omnes humanas induſtrias in eadem imperfectione hæſiſti, & quando minus hoc exſpectabas, ſubitò ingenti luce cœlitus infusâ, dictum imperfectionis nœuum expunctum eſſe agnouiſti? vt nimirum clarè diſceres, ſolam diligentiam humanam ad quodvis opus bonum, abſq; auxilio diuino, prorſus eſſe inermem ac inualidam; quid nî ergo ſoli Deo fidere hallucinaris, cum ex te ipſo nihil valeas præſtare?

Quoties, & quàm vanè ac ridiculè tuæ defectuoſæ & fallaci dexteritati, ingenio, habilitati, viribus, prudentiæ, & ſimilibus titulis multa adſcripſiſti dona, quaſi verò non à Deo omnium donorum auctore, ſed

à te

à teipſo illa conſequutus eſſes, & ſic temerè diuinæ bonitati ac liberalitati ſuam gloriam improbè furatus es, neque ei debitas gratiarum actiones perſoluiſti, quod & impium ſimul & præſumptuoſum eſt.

Adeòne tàm modicum lumen in te eſt, vt adhuc ignores, te tibi ipſi ſufficientem nullo modo eſſe, non tantum in magnis operibus patrandis, ſed neque minimis, & valdè ordinarijs functionibus ritè peragendis abſque aſſiſtentia diuina.

Vtinam ſeriò tecum expenderes, quàm juſtiſſimè Deus hujuſmodi ingratos homines in ſeipſos confidentes, meritò bonis omnibus & auxilijs gratiæ ſuæ priuet, quibus denudati, de momento in momentum in omnium ſcelerum voraginem labuntur, vt etiam volentes nolentes propriam vilitatem addiſcant.

Quantâ ſuperbiâ intumuiſti, qui hoc pretioſum donum diffidentiæ tui ipſius à Deo humilibus & ardentibus precibus nunquam efflagitaueris, ſciens eam te ex tuo labore, abſque ipſius ſpeciali auxilio, habere non poſſe.

O vtinam quando lapſus fueris in peccatum, protinus mentis tuæ oculos, ad jã dictam vilitatem, & ad faciendum bonum

impotentiam tuam conuertas, nisi enim eam intimè in te agnoscas, sincereq; confitearis, nunquam à lapsibus securus eris.

Velim etiam diligentissimè consideres, arborem diffidentiæ sui ipsius fœcundissimam esse, producit enim Orationem puram; Animæ recollectionem continuam; victoriam vanæ gloriæ; gratitudinem; & insignem in Deum amorem; contemptum sui & terrenorum omnium; Humilitatem in prosperis; Fortitudinem in aduersis; Timorem Dei; fugam & recessum à peccandi periculis & occasionibus, Animum heroicum grandia DEI causa aggrediendi; & similia multa, quæ à sola Dei beneficentia dependent.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De Sudore Sanguinis Christi in horto.

CHristus Dominus finitâ cœnâ modestissimè vnà cum suis Discipulis Hierosolymam egressus, hortum Oliueti adijt, sudaturus pro totius generis humani Redemptione in eo purissimũ suum sanguinem, in ipso autem itinere fixo non-

nun-

nunquam gradu ſubſiſtebat, vt ingratam illam ciuitatem gemebundus reſpiceret, in quam ſub illius adhuc noctis crepuſculo ſummâ cum ignominiâ erat introducendus à populo improbo Iudæorum, inſtar publici latronis, cui tot, tàm frequentia, & tàm immenſa beneficia contulerat.

Apoſtoli comites Chriſti in ſilentio cũ eo prodeuntes, & optimè futuræ ipſius paſſionis conſcij, attentè interim ſui Magiſtri dulciſſimi vultum & geſtus omnes, ingenti cum compaſſione notabant, quorum octo, jam vicinus horto, juſſerat in quâdam morari ſpeluncâ, & vacare orationi, impertitâque ſuâ paternâ benedictione, cum alijs tribus, Petro, Iacobo & Ioanne, in ipſum hortum perrexit, vt amariſſimam ſuam paſſionem auſpicaretur.

En qualiter ſub ipſomet ingreſſu horti, mœſtiſſimo planè corde tribus his ſuis Diſcipulis ſuas anguſtias his verbis aperiat, dicens: Triſtis eſt Anima mea vſque ad mortem: quo effato, diſcipuli ejus mirum in modum conſternabantur. Remotus à Diſcipulis quaſi ad jactum lapidis, ante quandam ſpeluncam ſe orationi tradidit, verùm doloribus nimijs circumuentus ſtatim ſurrexit, & ſuorum Diſcipulorum

 oratio-

orationes ſibi adjungi præcepit, inquiens: Vigilate & orate mecum, atque iterum ad eundem locum redijt: Illis verò paululum in oratione durantibus, præ triſtitia obdormiêrunt, quouſque cum paterna increpatione à Chriſto Domino ſuæ iterum monerentur deſidiæ, his verbis: Quomodo? Non poteſtis vna hora vigilare mecum? En qui me tradet, appropinquat: quibus dictis miſelli conſternati ac pudibundi, non habebant quod reſponderent; Et quidem orationi inſiſtere cupientes, ſed ſomno & mœrore grauati perſeuerare non poterant, quin non paulò poſt in grauiorem inciderent ſomnum. Chriſtus tertiò jam ad Orationis locum reuerſus, cœpit prolixius orare, totumque ſuæ amaræ paſſionis proceſſum Deo Patri commendare, proſternebatur pronus in terra, pallore mortis ſuperinductus, & ex dulciſſimi cordis profundo aſcendebant acuti gemitus vſque in cœlum, frontem ejus, faciem, ac totum corpus, etiam veſtimenta in humum vſque ſanguineæ & copioſæ lachrymæ perfluebant, tantis cum anguſtijs & doloribus, vt vniuerſa ejus ſacratiſſima membra plorarent ac lugerent.

Horum immanium dolorum cauſa ex-

rite-

titerunt innumerabilia & longè turpiſſima hominum crimina, quæ mitiſſimus Saluator pretioſo cruore ſuo abolenda ſuſceperat, ac tunc ſeſe clarè & diſtinctè ipſi ſpectanda obtulerant in injuriam & contemptum ſupremum diuinæ Majeſtatis, quæ cauſa dolorum Chriſti Domini noſtri valdè expendenda eſt.

Audiat inſuper, quanta cum humilitate, obedientia & Reſignatione, amariſſimum ſuæ paſſionis calicem bibendum à Patre ſuo cœleſti ſuſceperit, cum hujuſmodi apertâ proteſtatione: **Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte, veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat:** ad noſtram nimirum inſtructionem, vt ſemper diſceremus nos tàm in proſperis quàm aduerſis, diuino beneplacito ſubmittere.

Hujus diei diuina præſentia conſtituetur: Chriſtus Dominus ſanguinem ſudans: Et ſequentibus actibus pro Memoriali ſtabilietur.

AMabiliſſime Redemptor mi, Ego N. vt ſupra in feria ſecunda, &c. quia dum vnà cum diſcipulis tuis peractâ cœnâ, cum modeſtia & ſilentio ad hortum

oliuarum pergeres, conversus ad ingratam ciuitatem Hierusalem, effusè supra eam lachrymatus es.

Mansuetissime Domine mi IESV Christe, Ego N. vt supra, &c. quia ingressus in hortum, mœstissimo vultu & voce lugubri coram discipulis tuis immensam tuam tristitiam testatus es, inquiens: Tristis est anima mea vsq; ad mortem.

Humillime Domine mi IESV, Ego N. vt supra, &c. quia genibus flexis reuerenter admodùm pronus in terra, amarissimam tuam passionem Patri cœlesti commendasti.

Sanctissime Redemptor mi, Ego N. vt supra, &c. quia pro mea salute, in horto, mortis anxietate circumuentus fuisti, ita vt vniuersa tua membra diuina pallerent ac lugerent.

Innocentissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. quia amarum valdè passionis calicem resignatissimè acceptasti, dicens: Pater si vis vt bibam illum, fiat voluntas tua.

Pijssime Domine Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. quia discipulos tuos in horto dormientes tàm mansuetè ad tecum orãdum excitasti.

Medi-

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De discrimine mortis Iustorum & peccatorum.

PEccator obstinatus supremâ ægritudine oppressus, inexplicabilibus circumvenitur doloribus, mœstitijs, tœdijs, anxietatibus, horroribus, perplexitatibus, timoribus, internis externisq; afflictionib9, quæ vno quasi agmine facto in miserum & desolatum irruunt, & ex accessione dirissimi remorsus nefariæ conscientiæ, de momento in momentum notabiliter crescunt, cum vehementi pauore, ac præsagio infelici, ex millenis grauissimis perpetratis sceleribus, æternam damnationē incurrendi, adeò vt exindè morbus corporalis seipso molestissimus, quasi insupportabilis fiat.

Heu quàm terribilia occurrunt accidentia animę peccatoris agonizantis, quibus instar fluctuum feri maris agitatnr, ac miserè valdè dilaniatur, hinc enim timor egressus è corpore, illinc metus seuerissimus reddendæ rationis; hîc separatio ab omnibus munsii visibilibus & desiderabi-

libus; Ibi metuenda & irreuocabilis justissimi Iudicis sententia definitiua expectatur, quæ omnia & singula animam reprobam, sollicitâ quâdam futurorum cogitatione, absque intermissione, velut ense bis acuto perfodiunt.

Sed en ad lectum morientis peccatoris, quàm horridum multorum millium sæuissimorum dæmonum aduolet agmen, vt miseram illam animam multiplicib[9] tentationibus opprimant, quorum nonnulli refricant memoriam criminum patratorum ingenti cum tumultu & confusione; Alij desperationis præcipitium vrgent; quidam fidem ac spem veniæ consequendæ auferre nituntur; hi mortis horrorem objiciunt; Illi rigorem Iudicij mox futuri exaggerant; Alij os ejus ad confessionem occludunt, ac demum omnes diuersimodè miserrimam animam inclamant, turbant & exagitant, & ad perditionem sempiternam totis conatibus impellunt.

Considera violenter tandem è corpore suo egredientem animam peccatricem à Diabolis circumuallari, & veluti à canibus rabidis teneri, distrahi, dirissimè affligi, & tanquam suæ condemnationis consortem, ad terribile Christi Iudicis tribunal

nal raptari, pœnas propediem æternas cũ alijs damnatis soluturum, Sed interim animæ tuę oculos ad quendam ex justis hominibus conuerte, similiter postremâ infirmitate decumbentem, & in omnibus suis afflictionibus patientissimè, nec non resignatissimè se habentem, eo quòd cognoscat, se ijs doloribus breui terminandis, & satisfacere pro admissis peccatis, & Christo crucifixo conformari, & æternæ beatitudinis gloriam comparare: En vt abundantissimis consolationibus perfundatur, & ex certa quadam spe gloriæ mox affuturæ, quasi in mari delitiarum cœlestium natet; ac proindè in immensas gratiarum actiones incessabiliter prorumpit, suffragante pręsertim sanctę ac puræ conscientiæ testimonio.

Quot quantisque gaudijs liquefit Anima justa in hora decessionis suæ, eo quòd apertè videat, se in omni anteacta vita sua ex gratuita Dei misericordia, semper sincerè ac fideliter suæ Majestati seruiuisse? Mundum, Carnem ac Dæmonẽ viriliter proculcasse, compescuisse, mortificasse, & amore Christi subjugasse; ac demum omnem virtutis ac perfectionis semitam, ad illam vsque horam perseueranter: ac

incessanter, sollicitéque perambulasse? Quo circa non modò non abhorret instãtem mortem, sed potius ad eandem vehementer anhelat, sciens se per hunc transitum ad felicissimam cœlestium gaudiorum possessionem profecturum : neq; verò corporis sui sepulturam abominatur, quod ex fide in communi resurrectione certo certius nouit resuscitandum.

Sub ipso Animæ justæ exitu è corpore, plurimorum Angelorum & cœlitum aliorum phalanges, mirâ luce radiantes, turmatim accedunt, ad illam in agone mortis positam roborandam, ex quorum amicabili præsentiâ nouas vires ad vltimum illum conflictum cum dæmonibus superandum colligit: En vt animæ jamjam discessuræ promittant & offerant suæ firmissimæ protectionis assistentiam, præsidia, ac munimina; Vt ab illius conspectu validè expellant omnem monstrorum infernalium cuneum, cum ingenti eorundem confusione, ne ipsam vlterius jam victricem turbare ausint: Vt jam gloriæ dulcissimæ cantica personare incipiant in corde morientis, cum inæstimabili desiderio ad diuinum vultum suauissimè contemplãdum citiùs perueniendi, quam egressam

demùm

demùm Angeli Sancti, ad illius ſolatium, & miniſterium miſsi, ſuis ſubuehant manibus, & velut curru triumphali præſentent mitiſsimo Iudici, non plectendam, ſed ab eo ſuorum laborum præmia in æternum duratura recipienda.

I. Actus Interni.

O Fortiſsime Deus meus, cum debilior ac pauperior multòſim coram te, quàm non eſt exiguus terræ vermiculus, ſub robuſtiſsimi gigantis pede mox proterendus, qui fieri poterit, vt vſquam tàm ſtolidus & inſenſatus permaneam, vt vlterius auſim in proprijs viribus vel modicum etiam confidere.

Ah jam palam ſatis eſt, imò ex quotidianæ experientiæ vſu manifeſtè didici, quã ignarus in rebus aggrediendis, quàm inſtabilis in peragendis, quàm imprudens & ineptus in dirigendis, & quàm infortunatus ſemper fuerim in perficiendis, vt proinde nullum prorſus ſuperſit fundamentum, vel in minimo mihi ipſi amplius fidendi.

Sapientiſsime Deus, tu dixiſti, & verax eſt ſermo tuus: Sine me nihil poteſtis facere;

re: Cur ergò tàm insipiens factus sum, vt mihimet ipsi imponere velim, quasi aliquid vel exiguum saltem independenter à te facere possem? quocirca absit, vt deinceps tantæ fatuitati subijciar.

Noui Domine mi, & vtinam ex tua gratia ita semper cordialiter sentiam, quod non solum ex nihilo creatus sim à te, sed in idem quoque nihilum omni momento relabi queam, vbi benignam manum tuam vel modicum subtraxeris, quomodo ergò tàm miserabile NIHILVM, sicut Ego, se aliquid esse opinabitur, vt in se vanè confidat?

Valdè ridiculum est, cœcum cœco ducatum viæ ignotæ & implexæ præstare velle, quod sanè idem mihi in omnibus euenit, proindè te misericorditer opitulante, mihi posthac non fidam, ne & me, & alios in foueam præcipitationis deijciam.

Affirmauit Propheta tuus Sanctus: Nõ in fortitudine sua roborabitur vir: sufficienter indicans, vniuersas vires & industrias humanas, non nisi vmbratiles, & ex se nullius esse valoris, ideoq; meritò despiciendas, quapropter nec Ego eas imposterùm magnifaciam, vt tibi vni & soli confiden-

fiden-

fidentius in omnibus & singulis euentibus semper adhæream.

II. Actus Externi.

ALiorum orationes ac preces frequẽter & anxiè expostulare. Quando aliquid agendum vel aggrediendum occurrit, libenter consilia prudentiorum inquirere, & humiliter sequi. Proponere suas intentiones & adinuentiones melioribus & sanctioribus & magis expertis discutiendas. Non se temerè intrudere in ea, quæ proprias excedunt vires. Nihil præcipitanter, impræmeditatè ac temerê aggredi vel statuere. Tàm in minimis, quàm in mediocribus prudenter timere. Nihil ex proprio judicio facilè resoluere in rebus alicujus momenti, cum sapientiores consuli possunt. Præteritorum temporum bonis actibus vel operibus suis nõ nimis inniti. Cum actuali timore, omni in loco, tempore, occasione, & circumspectè semper ambulare ob præsentem memoriam plurium euentuum sinistrorum & infelicium. Nullis omninò probabiliter labendi vel minimis etiam occasionibus se spontè exponere. Nunquam modica pericula aut damna, quia modica sunt,

sper-

ſpernere, ſed omnia diligenter euitare. Suæ prudentiæ, induſtriæ, capacitati, doctrinæ, ſanctitati & experientiæ diuturnæ nunquam ita fidere, quin ſe ſuſpectum ſemper habeat, ne forſitan periclitetur ex juſta diſpenſatione DEI in pœnam ſuperbiæ.

Affectus igitur generalis ex vtraq; tàm Matutina quàm Veſpertina Meditatione eruendus, erit: Sui ipſius diffidentia: Cujus rationes Applicationis ſunt ſequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CHriſtus Dominus, æterna Patris Sapientia, in agone conſtitutus in horto, tàm humiliter ſuorum diſcipulorum requirit orationes, quibus vtiq; non indigebat, Et Ego tot infirmitatum & fragilitatum mearum conſcius, meis defectuoſis viribus fidere audebo?

Ratio ex Meditatione Veſpertina.

CErtè ipſa mortis anguſtia & hora ineuitabilis, abundè ſatis demonſtrant, quàm nihil poſſit homo mortalis, & quã ſtolidum ſit ſibi ipſi in vllo velle fidere.

Feria

Feria quinta.

Examen Exprobratiuum.

De veraci in DEVM fiducia.

QVod huc vſq; in fiduciæ virtute, tâm frigidè, aut nihil omninò forſitan te exercueris, cauſam eſſe arbitreris, quod ejuſdem & neceſſitatem, & vtilitatem atque excellentiam nunquam expenderis, vel etiam contra omnem decorem Chriſtianæ ac Religioſæ obligationis, ne quidem illam expendere noueris, cum te ſemper impiè latuerit: ſcies igitur fiduciam in DEVM aliud non eſſe, quàm ſuſtentaculũ quoddam omnium noſtrorum deſideriorum, bonorum propoſitorum, & ſanctarum reſolutionum atque operationum, in Deo ſolo tanquam in robuſtiſſimo fundamento poſitum, ex quo vnico omnis valor & efficacia omnium noſtrorum meritorum deriuatur, eò major, quò iſthac fiducia extiterit ſolidior.

Numquid ex defectu hujus fiduciæ hactenus veram cordis tui pacem, & internam tranquillitatem inuenire potuiſti? & quæ hujus mali cauſæ aliæ, niſi quod in te ipſo, & non in viribus Dei ſpem tuam loca-

locaueris: oportebat enim te nouiſſe, diuinam bonitatem, potentiam ac ſapientiam eſſe abſq; termino & limitatione, à quâ totus in omnibus & ſingulis dependeres, & ſub quo ſolo ſecurè incederes, tanquam ſub protectore ac defenſore inuincibili: quandoquidem igitur in hac conſideratione, ac diuinæ fiduciæ ponderatione defeceris, quid mirum, ſi huc vſq; velut fugitiuus à facie Dei tui, inſtabilis ac profugus ſuper terram, abſq; quiete vlla animæ tuæ permanſeris?

Sed expreſſius cape hujus tuæ in Deum fiduciæ neceſſitatem pariter, & ingens emolumentum: Nam ſi tuæ ſaluationis negotium à proprijs dependeret viribus, vel in proceſſu grauioribus occurrentibus tentationibus deficeres, vel media opportuna ignorares, & in pluribus excœcareris, dum apparens pro vero, & noxium pro vtili apprehenderes ac decipereris, & ſic nunquam ad finem tuum pertingeres: Quod ſi verò hominum diſpoſitionem circa eandem tuam ſalutem exſpectare tenereris, vel hoc præſtare non poſſent, vel ſi poſſent, modum ignorarent, aut fortè etiam nollent; Nunc autem cum DEVS ſit & potentiſſimus & ſapientiſſimus, ac

de

de ejus bonitate & amore nequeat dubitari, non tantùm quietus ac ſecurus redderis dum in eo ſpem tuam collocas, ſed & multiplicium conſolationum fontes ex intimo cordis tui centro exurgere animaduertis.

O quantam confuſionē incurris, quod hæc tria hactenus tecum euoluere neglexeris, ſcilicet. I. Deum ſolum poſſe pleniſſimè ſatisfacere omni deſiderio ac petitioni tuæ. II. Modum omnem perfectiſſimè noſſe. III. Velle quoq; præſtare, cum ſit & infinitæ potentiæ & ſapientiæ, & æterno nos amore proſequatur, quod indè apparet, quod & pro viliſſimis & ingratiſſimis peccatoribus dignatus ſit de cœlo deſcendere, humanam naturam aſſumere, & pro illis diriſſimam mortem ſubire, tantùm vt eos ad portum ſaluationis deduceret, teſte Apoſtolo; Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donabit?

Nunquid non recordaris nos ex beneficio gratiæ, eſſe filios Dei adoptiuos, quod ſi igitur parentes carnales tantâ ſollicitudine moueantur erga proles ſuas, ne ijs quicquam deſit; Pater cœleſtis, & cui pro-

priè competit dici, & esse Patrem misericordiarum, ac Deum totius consolationis, fieri posset, vt minori in nos ferretur amore? dicente Euangelista: si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?

Insuper aliud animaduerte, quod licet simus peccatores, & diuinis muneribus indigni, nesciamusq; quid petamus, tamen Christus dominus, qui noster protector, Sacerdos & Aduocatus est, pro nobis petit, cui pater cœlestis nō negat quicquam, neq; illud, quod in ejus nomine postulatur, siquidem per mortem suam sacratissimam nobis promeruerit, vt orationes nostræ exaudirentur: Huc accedunt tot promissiones à Deo factæ, in literis sacris sparsim expressæ, scilicet, omnia nobis se daturum, quæcunq; in ordine ad animarum nostrarum salutem postularemus, quid igitur timendum? cum certò sciam⁹, omnia potius transitura, quàm vel vnicũ Iota ex ejus diuinis promissis non adimpleatur.

Vis in tui ipsius diffidentia, & in solius Dei fiducia proficere, operæ pretium erit, vt ante omnia benignum auxilium à liberalis-

ralisſima Majeſtate Dei humiliter, ardentibuſque precibus inſtanter petes; Deindè vt in omnibus tuis operib⁹, priuſquam aliquod incipias, teipſum cogitationibus ad conſiderationem pariter & fragilitatis tuæ, & omnipotentiæ, ſapientiæ, bonitatisque diuinæ te conuertas, & ſic operari incipias, ſic enim fiet, vt in lapſibus tuis nullâ graui triſtitia abſorbearis, præſcius tuarum miſeriarum, & interim etiam de benignitate Dei paratiſſima ſemper benè ſentias.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De Chriſti Captiuitate.

SCiens mitiſſimus Dominus IESVS proditorem ſuum Iudam adueniſſe in hortum, diabolica caterua ſtipatum impijſſimorum ac ſæuiſſimorum latronum, cum laternis, fuſtibus, & omni armorum ſtrepitu, ipſis, velut agnus innocens, pleno cũ affectu amoris, benigniſſimè obuiam proceſſit, dicens: Quem quæritis? cui ſuperbiſſimi laniones, licet tremuli: IESVM Nazarænum: Et pijſſimus Dominus; Ego ſum:

hoc dicto, pariter omnes ex occulta vi diuinitatis ej⁹ oppressi retrorsum abierunt: Quod si igitur Christus mortalis adhuc, & judicandus, suos hostes verbo tantùm prostrauerit, quid faciet judicaturus? quid regnaturus poterit, qui hoc potuit moriturus?

Datâ inimicis suis facultate iterum surgendi, secundò eos interrogauit; quem quæritis? Cui Illi vt prius; IESVM Nazaræнum: respondit IESVS: Dixi vobis, quia Ego sum, si ergò me quæritis, sinite hos abire; subindicans suos discipulos, qui statim relicto suo Magistro, præ nimiò metu sese spontè subduxerunt, quâ discipulorũ fuga amantissimi Redemptoris nostri cor grauiter sauciatum est.

Interea impijssimus Iudas, auaritiæ spiritu excœcatus, acceptis denarijs à Principibus Sacerdotum, innocentissimum suum Magistrum sub osculo perfidæ pacis, velut latronum funestissimus, in mortem tradidit, inquiens; Aue Rabbi; cui mitissimus IESVS; amice, ad quid venisti? Filium hominis osculo tradis Iuda? quibus verbis illi immane crimen admissum exprobrauit, si fortè resipisceret, paratissimus iterum eum recipere in gratiam, vbi cordialiter

liter pœnituiſſet, ſed homo nefarius lapide durior, & plenus dæmone, deſperare maluit, quàm benigniſsimum Chriſti affectum experiri, itaque laqueo ſe turpiſsimè ſuſpendit, & medius crepuit, qua ſanè jactura diſcipuli, amoroſiſsimum cor Ieſu valdè afflictum eſt. Stabat Redemptor noſter in medio ſæuiſsimorum hoſtium ſuorum venditus triginta argenteis, volentium eum trucidare modo peiori quo poſſent, quibus humaniſsimè ait: Tãquam ad latronem exiſtis comprehendere me, quotidie vobiſcum eram in templo, & non tenuiſtis me, ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum: quibus dictis, in ipſum tanquam agnum patientiſsimum mox dilaniandum, velut lupi rapaces improbè inſilierunt.

Luctuoſum prorſus extitit ſpectaculum, cernere multiplicem ferociam, nequitiam, afflictionem, contemptum & ignominiam, amabili Domino crudeliſsimè à Miniſtris diabolicis irrogari, quorũ vnus venerandi verticis capillos extrahebat, alius barbam truculenter vellicabat, hic pectori, ille collo manus ſanguinolẽtas inijciebat, iſte faciem, alius genas ejus, ictibus ſacrilegis quatiabat, quidam ſputa

fœtidiſsima in ipſum egerebant, non nulli manus delicatas nexibus duriſsimis arctabant, vſq; ad nigredinem & cruoris emiſsionem: Alij humi projectum viliſsimè conculcabant: Denique ferreâ ac ponderoſiſsimâ catenâ injectâ, ciuitatem verſus, inter veſanos vlulatus, blaſphemias, irriſiones, vociferationes, & armorum ſtrepitus, odio acerbiſsimo in illum ardentes, nequiter per omne lutum, abſq; vlla compaſsione, pijſsimum Saluatorem nimis mœſtum ac deſolatum raptarunt, vt illum improbiſsimis Iudicibus trucidandum ſiſterent.

Hujus diei diuina præſentia erit:
Chriſtus à Iudæis captus in horto:
Et pro memoriali ſequentib⁹ actibus ſtabilietur.

MAnſuetiſſime Domine mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia pro mea ſalute à tuo proprio diſcipulo ſceleſtiſſimo Iuda Iſcariote 30. argenteis turpiſſimè venditus fuiſti peſſimis mercatoribus, tibi infenſiſſimis & crudeliſſimis hoſtibus.

Fortiſsime Deus meus, Ego N. vt ſupra, &c. Quia ſolo verbo, Ego SVM: tibi occur-

currentem Sathanæ exercitum cum facibus, fustibus & gladijs, vt te in horto comprehenderet, ex inuisibili omnipotentiæ tuæ virtute dejecisti.

Sanctissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia impudentissimi Iudæ osculum, quo te in manus nefariorũ peccatorum tradidit, tàm humiliter & dignanter acceptasti, vt eum insuper Amicum appellares, dicens: Amice, ad quid venisti?

Suauissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia ab improbis Iudæis captus, & instar publici latronis funibus crassissimis & ferreis catenis alligatus, & immisericorditer constrictus fuisti.

Nobilissime Redemptor mi, Ego N. vt supra, &c. Quia colaphis durissimis cœsus, pedibus sacrilegis conculcatus, & infinitis alijs injurijs pro mea salute affectus, quàm humillimè ad omnia ludibria siluisti.

Clementissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia cum furiosis clamoribus versus ingratissimam Ciuitatem Hierusalem, irreuerentissimè, & ingenti cum despectu, instar animalis bruti raptatus es.

Tenerrime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia nimium defessus, & omnibus diuinis tuis innocentissimis membris fractus, tanta cum violentia protractus fuisti, vt vix halitum traheres.

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De differentia hujus vitæ temporalis, & æternæ.

INfinitus est numerus hominum, sese sponte in infernum præcipitantium, cum plerique omnes hujus vitæ vanitatibus operam nauent, & futuræ beatitudinis in cœlesti patria, turpiter obliuiscantur: Hoc vt certius agnoscas, circumspice quæso totius terræ latitudinem, & animaduertes diuersas & inutilissimas hominũ occupationes ac functiones, quibus infeliciter ceu fisco tenaci implicantur, & quando minus cogitant, in perditionem rapiuntur perpetuam, miserrimè illusi, pertranseunte mundi hujus imagine, cui insipienter innitebantur.

Est mortalis hæc vita, vt plurimum, octuaginta annorum, qui tamen non omnes

nes vitales censeri debent, nam major ipsorum pars, vel infantili ætate, vel etiam dormiendo teritur, absque vllo animæ emolumento peculiari, ijs quippè temporibus, cum homo non vtatur rationis vsu, impropriè viuere dicitur, & vt breuiter concludamus, vita præsens nõ incongruè Cometæ comparatur, qui vixdum exortus disparet; confertur & sagittæ, quam à se expellit pharetra velocissimè, nullum post se cursus sui vestigium relinquentis, ita vt homo natus in hunc mundum celerrimè transeat, & instar floris matutini citò decidat, & quando minus cogitat, per mortem improuisam exarescat.

Ecquis vnquam verè Sapiens dubitare potuit, vitam hanc temporalem esse omnium prorsus miseriarum quandam colluuiem, quotquot enim infortunia obueniunt hominibus; quoties lites & contentiones; quoties rerum temporalium jacturæ; quoties consanguineorum & amicorum interitus; quoties ægritudines corporales, defatigationes, lassitudines, labores, pericula, inediæ, calores, frigora, animorum acerba fastidia, tædia, anxietates, curæ, suspiciones, timores, derelictiones, injuriæ, contemptus, dolores, odia,

inuidiæ & desperationes, & similia absque numero; toties cor humanum mille modis affligitur: Insuper has infelicitates vniuersas longè adhuc superat molestissima hæc conditio, nimirum, quotidianis esse peccatis & lapsibus obnoxium, vndè sæuissimus quidam & continuus, mortis, judicij & inferni, horror in animam debacchatur.

Consideratâ temporalis vitæ ærumnosissimâ conditione, paulò altius mentem erige, & alium mundum superiorem, sub ipsismet stellis absconditum, contemplare, absque vlla comparatione centies millies terra hac majorem, instar ciuitatis alicujus, vel Reipublicæ ordinatissimæ, immensæ longitudinis, latitudinis, capacitatis ac pulchritudinis, cujus muri & omnia ædificia exurgunt ex auro mundo & resplendenti, portę ex lapidibus pretiosis, compita verò siue plateæ ex cristallo pellucido; cujus horti pensiles sunt, præ eximia amœnitate humanis oculis inuisi, spirantes balsamum, & omnium aromatum odores suauissimos: Cujus habitatores omnes sunt Reges potentissimi, lætissimè, nec non securissimè viuētes, imò quiuis illorum immensæ pulchritudinis atq; inso-

insoliti splendoris accessione, meridianũ hunc nostrum solem, cum in sua lucet virtute, multis partibus excellit.

Durat cœlestis illa, & verè beata vita in omnem æternitatem, ita vt post millies millena annorum millia exacta, adhuc in suo versetur principio; & vt verbo absoluam, tantum durat, quantum Deus ipse æternus, qui creauit illam, hoc est, sine vllo termino aut fine: Quapropter manifestum euadit, stolidissimè agere homines, qui breuem hanc ac desolatissimam vitam æternæ audeant comparare, vel, quod iniquius est, præferre.

Denique expendatur, Beatos in cœlo absque vllo timore æternæ suæ fœlicitatis perdendæ, viuere semper quietissimè, sunt enim, quoad animam & corpus, bonis inæstimabilibus referti, ditissimi, honoratissimi, sapientissimi, potentissimi, lætissimi, nobilissimi, pulcherrimi & summè pacifici, atque omni satietate & abundantiâ beatitudinis repleti: Quis igitur adeò demens sit, vt cognito vtriusq; vitæ, temporalis & æternæ, discrimine, despecto mundo, non toto mentis affectu in cœlum anhelet?

I. Actus

I. Actus Interni.

DVlcisſime Domine Deus meus, cum optimè nouerim, in te ritè ſperanti auxilium gratiæ tuæ nunquam defuturum, idcircò tibi fiducialiſsimè ſemper adhærebo, vt tàm in tempore, quàm etiam in æternitate tuum beneplacitum exequi merear, Ex qua ſanè fiducia confirmatus, ſi noſſem velle tuum fore, vt in æternum in inferno torquerer, memetipſum ſtatim ſpontè in illas flammas præcipitarem, ſolummodò vt tuæ diuinæ ſatisfieret voluntati, dummodò gratiæ tuæ expers non ſim.

Faxit pijſsime Deus, vt poſthac nil tàm durum accidat, neq; ipſa mors tàm aſpera mihi videatur, quin confiſus in te, eam nō læto excipiam vultu, vt tibi conformis fiam.

O quàm jure meritò mihi ſuauiter ſemper arridere deberet hoc mellifluum proloquium: Fiat ſemper in me & vbiq; beneplacitiſsima Dei voluntas: cui ſoli tenaciter & fiducialiter ad extremum vſq; halitum adhærebo, neq; vnquam è corde meo expungi ſinam.

Gaudebo prorſus, & æternaliter te benedicam Domine mi, quod etiam in minimis

nimis actualiter à te dependeam, ideòque vehementer desidero, & te suppliciter rogo, vt inposterum nunquam meæ propriæ dispositioni condescendas, sed tua potius in me semper absq; vlla exceptione adimpleatur voluntas.

En misericordissime Deus meus, corpus & animam cum omnibus suis viribus, tibi ab hoc momento quàm integerrimè consigno, vt de me ad placitum tuum disponas, siue ad mortem temporalem subeundam, siue ad vlteriorem vitam prosequendam, tantùm enixè postulo, ne me à gratia tua excludas, vt non infeliciter peream.

Paratus sum Domine mi Iesu, & non turbatus, tibi in vniuersis meis necessitatibus & anxietatibus, simpliciter semper confidere, quia tu sol⁹ fortitudo, vita mea & salus mea es in æternum.

II. Actus Externi.

DEum in omnibus semper euentibus etiam minimis, humiliter ac fiducialiter semper consulere, & inuocare. Diuinam immensitatem, bonitatem, longanimitatem, benignitatem, singularem prouidentiam, & alia tàm generalia, quàm spe-

ſpecialia ejuſdem auxilia promptiſsima, nobiſq; certò affutura, ſæpè meditari, illi⁹ maternis brachijs auidiſsimè ac ſecuriſsimè ſe committendo. Expendere nonnunquam aliquot diuinæ ſcripturæ vel ſanctarum hiſtoriarum exempla, ſingularis diuinæ bonitatis & providentiæ in illam confidentium, quibus animus deject⁹ plurimum erigi conſueuit. Producere aliquoties actus fiduciæ viuaciſsimæ, velut in occaſione euidentis alicujus periculi quis conſtitutus eſſet fidei amittendæ, aut virtutis perdendæ, præſertim ejus virtutis, in cujus exercitio ſe debiliorem animaduertit, vt hoc pacto roboratus, pro Dei gloria propugnanda magnanim⁹ reddatur, poſſetq; fieri coram ſanctiſsimo Sacramento vel deuota aliqua imagine. Nihil horrere vbi expreſſa Dei gloria interuenit, quantumuis arduum videatur, generoſos Chriſti famulos imitando.

Affectus igitur generalis ex vtraque tàm Matutina quàm Veſpertina Meditatione eruendus, erit : Fiducia in Deum : Cujus rationes Applicationis ſunt ſequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

Chri-

CHristus Dominus ac Redemptor noster voluntariè se capi permisit, vt me ex seruitute peccati ac dæmonum intollerabili ac durissima redemptum, in libertatem Filiorum Dei assereret, quid ni ergò in ipso solo omnem meam fiduciam collocabo?

Ratio ex Meditatione Vespertina.

CVm tàm fallax sit præsentis vitæ conditio, æternæ autem ac in cœlis futuræ præstantissima ac stabilis permansio, ipsius Christi ore canonizata, jure merito contempta mundi vanitate, ad sempiternam illam Beatorum felicissimam vitam jugiter ex diuina & gratuita bonitate cõsequendam, cui soli me fiducialiter committam, aspirabo.

Feria sexta.

Examen Exprobratiuum.

De frequentatione Sacramenti Pœnitentiæ.

ESt sanctissimum Pœnitentiæ Sacramẽtum aliud nihil, quàm pretiosissimum & saluberrimum aliquod balneum animæ,

cœæ, ex ſacratiſsimo Chriſti cruore, illiusque excellentiſsimis meritis compoſitum, in quo peccator verè contritus, ab vniuerſis delictorum ſuorum immunditijs efficaciter abluitur, & per virtutem gratiæ diuinæ, in priſtinam cum Deo amicitiam reſtituitur, ſed quàm culpabiliter & ingratè ſemper huc vſque in ſummam liberaliſſimi Redemptoris tui injuriam, & extremam tui ipſius pernitiem, tantum beneficium oblatum neglexeris, & quod pejus eſt, eo abuſus ſis, temetipſum judicem ſincerum ſtatue, & cum cordis intimi rugitu vehementer deplora.

An non manu palpas inſipientem valdè ingratitudinem tuam, quàm horrenda & innumera forſitan ſacrilegia admiſeris, dum iſtud Sacramentum plerumq; ex mera & frigida conſuetudine, abſq; vlla nonnunquam præuia diſpoſitione, vel ſaltem leuiſſimâ conſcientiæ diſcuſſione, præſumptuosè nimis acceſſiſti, dum vix vllum dolorem de patratis culpis, vix vllũ propoſitum firmum de non iterandis, & occaſionibus periculoſis euitandis concepiſti, & vix peccatorum tuorum medietatem, ex defectu examinis, coram Sacerdote Chriſti Vicario expoſuiſti, adeò vt

potius

potius Deum infinitæ Majeſtatis irridere viſus ſis, quàm vt jure merito tibi iratum, verâ pœnitentiâ placare contenderis.

Sed obſecro, dic mihi palam, quo ſenſu compunctionis, & humilitatis ac timoris, & quâ ſpe indulgentiæ peccatorum tuorũ conſequendæ acceſſeris ad ſacram confeſſionem, cum nec conſilia, ſiue monita ſalutaria Sacerdotis te amanter inſtruentis, vix vnquam amplexus ſis, nec injunctis pœnitentiæ medicinis vſus ſis, ſed nec vel modica vitæ tuæ in melius emendatæ ſubſecuta ſit mutatio, imò in pejus quotidiè degeneraueris?

Fateri te neceſſe eſt, ad majorem tui ipſius confuſionem, quod ſæpè ſæpius, vociferante tuâ propriâ conſcientiâ, immundior à Confeſſione receſſeris, quàm acceſſeris, eò quod quàm indigniſſimè, & prorſus imparatus tàm eximium Sacramentum adieris, & ſic thyriacam vtiliſſimam in venenum lethiferum tuâ culpâ conuerteris, quod etiam auditu horrendum eſt.

Optarem omninò tibi perpetim ob oculos verſari excellentias peculiares, & gratias cœleſtes, quæ animabus debitè hoc Sacramentum ſuſcipientibus conferuntur, quibus permotus impoſterum circũ-

ſpectius agas, & fructum deſideratum cõſequaris. Noueris itaq;, primò hic impendi Iuſtificationis gratiam, quâ peccator pœnitens ex inimico Dei ejus fit amicus, atq; adeò in filium adoptatur, & cœleſtis Regni hæres conſtituitur. Secundo, vi huj⁹ Sacramenti dari pacem quandam ſupernaturalem, in compenſationem victoriæ, quam de ſeipſo retulit verè contritus, propria ſua peccata ſincerè aperiendo, quo actu heroico dæmones pelluntur, & paſſiones carnales imperio rectæ rationis ſubduntur. Deniq; infundi gaudium Spiritus ſancti, quo omnis prauæ conſcientiæ timor ac mœſtitia fugatur, & anima perfruitur quiete cœlo sereniſſimo ſereniore.

Hæc & alia quàm plurima te efficaciter deberent inducere, vt ſalutare hoc Sacramentum permagni faceres, & debitè ac reuerenter celebrares.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De fructibus paſsionis Chriſti.

PRetioſiſſimi ſunt fructus, qui ex Christi Domini noſtri paſsione & morte colligun-

guntur, Inprimis summa Dei gloria, nam cum homo se permiserit à diabolo illudi, per Christi passionem ac mortem, confusso dæmone, liberatus est, & hoc pacto Deus glorificatus, . manifestauit vniuerso mundo inæstimabilem suam bonitatem ac misericordiam, Christus enim per suas pœnas extinxit peccatum, & acquisiuit sibi populum christianum, exaltans nomen suum in omnibus finibus terræ, & eleuat⁹ à Patre cœlesti ad immensam gloriam, ab eodem decoratus & insignitus est titulo Regis atq; Redemptoris vniuersi mundi.

Alius fructus passionis Christi est, nos per ejus virtutem ereptos esse à seruitute peccati, cujus enormitas adeò grauis & deformis extitit, vt animas in sua creatione speciosissimas, postea turpissimas, immundissimas, planeque abominabiles reddiderit, similes dęmonii infernali; Nunc verò sacrosancta Christi passio eas non solum à peccati fœtoribus & spurcitiis abstersit, diuinæque gratiæ pulchritudine exornauit, ac regni cœlestis hæreditatem contulit, verùm etiam à tyrannide diaboli exemit, ne in æternum perirent.

Horrendis vinculis implexus fuerat homo per peccatum, nempè mortis, tàm

animæ quàm corporis, pœnarum infernalium, priuationis gratiæ & amicitiæ diuinæ, atque omnium donorum ſpiritualiũ, his abſolui nunquam potuiſſet, niſi Dei filius per merita ſuæ amariſſimæ paſſionis ea abſtuliſſet, & contracta debita ſoluiſſet, atque adeò in theſauris Eccleſiæ reliquiſſet, vt in futurum ſufficienter pro alijs adhuc contrahendis ſatisfacere poſſemus; Chriſti namque merita infiniti valoris ſunt, & nunquam exhauriri valent, quantumcunque indè nobis applicetur.

Homo miſerabilis neque viam ad beatitudinem æternam, neque modum eam conſequendi nouiſſet, niſi Deus infinitâ ſuâ pietate motus, de cœlo deſcendens, pro eo pati dignatus fuiſſet; Vniuerſas quippè virtutes in ſua acerbiſſima paſſione perfectiſſimè exercuit, vt hac ratione ſuo exemplo nobis ſecuriſſimum in cœlũ iter practicè demonſtraret.

Præterea, ſiquidem in diuturna hujus noſtri exilij peregrinatione copioſo viatico indigeremus, ſufficientiſſimè nobis prouiſum eſt per Sanctorum Sacramentorum inſtitutionem, vt nimirum per Confirmationẽ noſtra roboraretur debilitas; per Pœnitentiam omnes animæ ægritudines

nes ſanarentur ; & per excellentiſſimam Euchariſtiam, ſitis & fames noſtra ſedaretur. Denique ne poſt emenſam hanc mortalem vitam reperiremus occluſam cœli portam, pijſſimus Saluator illam aperuit, vt jam non tantùm pateat ſanctis, ſed & latronibus ac meretricib[9] verè pœnitentibus, quibus omnibus ritè perpenſis, elucet quàm vberrimus Dominicæ paſſionis fructus.

Hujus diei diuina præſentia erit: Chriſtus Dominus ad nobis benefaciendum promptiſſimè inclinatus: Et pro memoriali ſequentibus actibus ſtabilietur.

Miſericordiſſime Domine mi IESV, Ego N. vt ſupra, &c. Quia ſingulis momentis, nobis ritè per tuam diuinam gratiam diſpoſitis, innumeros ac longè pretioſiſſimos tuæ ſacratiſſimæ paſſionis offers fructus, quibus in æternam alamur vitam.

Liberaliſſime Domine mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia nos ſine intermiſſione, in vniuerſis noſtris tentationibus, tuâ amariſſimâ paſſione roboras, ne à diabolo ſupplantemur.

Liberalissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia nobis ad sempiternam beatitudinem tuis immensis doloribus aditum præparasti.

Patientissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia nos ad heroica opera patranda, tuis afflictionibus efficaciter exhortatus es, & animasti.

Amantissime mi Domine Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia nos per acerbam passionem & mortem tuam, veros tui imitatores, & spirituales de nostris hostibus triumphatores constituisti.

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De particulari Judicio ac retributione tàm justi, quàm peccatoris.

IMagineris tibi thronũ quendam ex nubibus candidis & resplendentibus compositum, in quo resideat Iudex Christus summæ Majestatis ac gloriæ, ad cujus pedes plantatum sit vexillum crucis, & in circuitu ejus, Angelorum Sanctorumque omnium corona, inexplicabili cum reuerentia: considerabit itaque, vt omnibus illic

illic alto in ſilentio rei euentum præſtolantibus, duæ repentè animæ eâdem horâ & momento ſuis egreſſæ corporibus, hominis ſcilicet Iuſti, & alterius peccatoris, terribili Iudicis tribunali præſententur, multis angelis ac dæmonibus circumſeptæ, cujuſque tamen vtriuſque maxima interuenit differentia; Peccatoris quippè anima, licet ſententiam definitiuam nondum acceperit, nihilominus ſecum jam defert ſuæ peruerſæ conſcientiæ, & juſtæ condemnationis teſtimonium, quod quidem dæmones eam circumvallantes teſtatum faciunt, dum illi abſque intermiſſione procaciter illudunt: Contrarium penitus euenit animæ juſtæ, quæ honorificè valdè ac ſuauiter ab Angelis Sanctis ad judicium deducitur.

En vt judicium tremendum ab anima peccatrice ſuum deſumat exordium, & qualiter Chriſtus præcipiat dæmonibus eam cingentibus, vt ſuarum accuſationum ſeriem aduerſus ipſam palam faciant, qui ſtatim ex odio inteſtino, furore ac rabie exaſperati, cum inſanis clamoribus & rugitibus miſellam creaturam pertinaciſſimè accuſant, digredientes à minimis ejus prauis cogitationibus & verbis otioſis, vſ-

que ad eam commissa crimina magis exitialia & enormia, quibus peractis, executionem diuinæ justitiæ instantissimè vrgent, allegantes animam hanc suæ potestati oportere relinqui, vt promeritam peccatorum suorum pœnam sustineat.

Vide vt justissimus Iudex ab Angelis adstantibus sciscitetur, an animæ dijudicandæ quidpiam supersit in sui defensionem (quippe ipsamet suis criminibus conuicta obmutescit) verùm non modò non defenditur ab Angelis, sed acerbius insuper accusatur, protestantur enim eam dubio procul ęternâ morte plectendam esse, quo nihil funestius neque mœstius poterit audiri.

Animaduerte, qualiter his auditis infelix anima vehementer exhorreat, ac tota contremiscat, quantaque confusione & ignominiâ afficiatur, videns turpissima sua crimina, in præsentia Christi, Angelorum, ac Sanctorum omnium manifestari, quantis doloribus excrucietur, cernens se ab Angelis & Sanctis derelictam, de quorum patrocinijs confidebat: En vt desperationis fluctibus mergi incipiat, quocũq; se vertit, innumeris turbationibus atque tormentis quatitur, si introrsum inspiciat,

at, diræ conſcientiæ carnifex occurrit; ſi ſurſum, Iudicem ſummè iratum intuetur; ſi ſiniſtrorſum, rabiem dæmonum inclamantium & improbè accuſantium audit; ſi dextrorſum, Angelos bonos jam Inimicos, & Sanctos Dei ſibi contrarios experitur; ſi denique deorſum, terram dehiſcentem, & in ea voraciſſima inferni incẽdia conſpicatur. Quid igitur agat, niſi vt de ſua ſalute deſperans fruſtrà optet nunquam ſe natam, quàm tàm grandibus infortunijs ſubijci?

Reſpice Chriſtum, cognitis his accuſationibus, vultu terribiliter inflammato, conuerti ad miſeram animam, atque in hæc & ſimilia verba prorumpere: O infelicem Creaturam, attolle nunc oculos tuos, & me tuum Creatorem ac naturalem Dominum ingenti eum pudore intuere, qui tui cauſa, & in tuum emolumentum & obſequium, vniuerſum hunc mundum, & omnia, quæ in illo ſunt, condidi, cumque tuis peccatis infernum promeruiſſes, & diaboli eſſes mancipium, ego te pretioſiſſimo meo ſanguine redemi, in libertatem vendicaui, atque inſuper innocentem vitam meam pro te profudi, ac propriâ meâ carne nutriui: Intuere ſpineam hanc

coronam, hos clauos ferreos, hanc crucē, & hæc manuum pedumque meorum vulnera, quæ ſingula immenſa ſunt beneficia tibi exhibita; Sed heu improbam ingratitudinem tuam, dum loco gratiarum actionis me grauiſſimè offendiſti, ac penitus dereliquiſti, ſequens mundi vanitates, pōpas, falſaſque delitias, me verò tuum naturalem ac legitimum Dominum deſpiciens, qui te decreueram in gloriam meam introducere, ſi meæ voluntati obſequens fuiſſes, quæ igitur pœna tàm grauis poterit tuę huic ingratitudini ac malitię ęquiparari, quæ ſufficiat? Nulla prorſus, niſi æterna.

Animaduertet, vt his prolatis, antequam ſententiam definitiuam pronunciet, Chriſtus judicium de ſupplicio aſſignando, cum ſua ſanctiſſima Matre, cum Angelis & Sanctis dignanter conferat, inquirens, quid eis ſuper hoc videatur, quibus ſimul conſpirantibus, morteque æternâ animam illam dignam eſſe acclamantibus, voce tremendâ ſubjungit, dicens: Recede à me, anima maledicta, & vade in ignem æternum in comitatum omnium diabolorum, vt ibidē perpetuis tormentis tuorum ſcelerum turpitudines irremediabiliter luas.

Con-

Conſiderabit poſthæc Chriſti vultum, ſereniſſimum & omni gratiâ plenum exhibere animæ juſtæ, quæ ex luculento teſtimonio ſuæ benè compoſitæ conſcientiæ, non tantum non abhorret Iudicem, ſed etiam incredibili lætitiâ perfusâ confidenter accedit, cui Chriſtus blandiſſimè congratulatur, dicens: Veni benedicta Patris mei, percipe regnum quod tibi paratum eſt ab origine mundi: Hâc ipſi impentâ benedlctione, imaginetur ſe videre accedentes tàm Angelos, quàm etiam Sanctos tutelares, qui feliciſſimam hanc creaturam triumphaliter in cœli regiam, cum hymnis, jubilis, & canticis feſtiuis introducant, ad cujus receptionem plurima Angelorum & Sanctorum, animæ millia occurrant, ipſamque dulciter ſalutantes, in interiora cœleſtis Ieruſalem, jam indutam ſtolâ immortalitatis, conducant, collocentque in loco & gradu beatitudinis ejus meritis correſpondenti.

Interea ad conſiderationem animæ reprobæ reuertatur, quam inter ſæuiſſimorum dæmonum vngues, totam nigram, ſciſſam, doloribus ac mœroribus plenam, & igneis catenis implicatam intuebitur, jamjam in horribile inferni barathrum

præcipitandam, ad cujus hiatum terrificum vbi peruenit, notet obſecro, vt infelix hæc creatura, auditis gemitibus, planctibus, vociferationibus, vlulatibus & fremitibus, ac veſanis tumultib⁹ cœterorum damnatorum, tàm ſpirituum malignorũ, quàm hominum, tota tabefacta contremiſcat, caputque & faciem ſuam retrorſum violenter reflectat, cernens â longè aliam animam, immenſa gloria veſtitam, ad cœlum proficiſci, ſe verò tenebris exterioribus in perpetuum inuolui, vndè ſibimet grauiter indignatæ, incipit furiosè, tamen fruſtrà, miſerandum ſuum infortunium deteſtari, in quod malè cauta incidit, Deum etiam & creaturas omnes blaſphemare, inſuper & diei natiuitatis maledicere, atque ita accepto loco ſuis ſceleribus condigno, in omnium aliorum damnatorum ſocietate, ſine vllo fine in illis crudeliſſimis incendijs in æternum irreuocabiliter cõburi: Ex hac itaquè vtriuſq; animæ tàm reprobæ quàm juſtæ conditione, vitæ tuæ normam prudenter inſtituere ſatage.

I. Actus Interni.

Pijſſi-

PIjſsime Domine Deus meus, cum tot mihi ſalutis meæ conſequendæ remedia prouideris, fateor tamen cum immēſo cordis mei gemitu, abominabilem meam ingratitudinem, quod illa huc vſque ex ſupina mea pigritia neglexerim, præſertim autem, nobiliſsimo Pœnitentiæ Sacramento frequenter abuſus ſim, idcircò firmiter ſtatuo, me potius mille mortes ſubiturum, quàm me hujuſmodi piaculo deinceps iterum obſtringere velle.

Eſt omninò Pœnitentiæ Sacramentũ, pretioſi tui cruoris pro me liberaliſsimè effuſi balneum efficaciſsimum, in quo animæ ab omnibus peccatorum ſordibus abluuntur, quocirca te donante, ad illud debitè frequentandum, totis me accingam viribus & conatibus.

Heu miſericors Deus, quàm pigritanter, inconſideratè, diſtractè, imperfectè & indiſpoſitè ad Sacramentalem peragendam Confeſsionem huc vſq; pedibus Sacerdotis me prouolui, & ideò plerumque ſordidior mea culpa redij quàm acceſſerim, & faxit tua diuina bonitas, non in majorem animæ meæ damnationem.

O benigniſsime Deus, vehementer ſanè timeo, quod ex defectu debiti examinis

con-

conſcientiæ meæ, Sacramentum Confeſſionis innumeris contaminauerim ſacrilegijs, componens ex antydoto ſalutari, venenoſum toxicon perditionis meæ, de quo crimine admodùm doleo.

Ignoſce obſecro Domine mi Ieſu, tot meis inconſiderationibus & temeritatibus, quas in manifeſtum diuini honoris tui præjudicium admiſi, eo quod ex mera plerunq; & inolita tantùm conſuetudine, abſq; peculiari meditatione, vti debuiſſem, ſacram adjerim Confeſſionem, attamen ex nunc contritus, per gratiam tuam firmiter propono, me deinceps omnem reuerentiam, timorem, & præparationem requiſitam adhibiturum in vſu tàm neceſſarij ac nobiliſſimi Sacramenti.

Exopto mihi, ô Clementiſſime Saluator mundi, omnem requiſitam ac tibi placidiſſimam diſpoſitionem pro frequentia hujus Sacramenti, talem nimirum, qualē vnquam, te donante, veri pœnitentes ab exordio mundi vſque ad finem ejuſdem, ſunt experti, quando humiliatis & contritis cordibus ſua delicta coram Majeſtate tua ad pedes Sacerdotis depoſuerunt.

II. Actus Externi.

Nun-

NVnquam caſualiter, ſeu ex inueterata ſola ac languida conſuetudine, ad Confeſſionem Sacramentalem accedere. Sæpius hoc Sacramentum contrito corde abſq; palliatione aut excuſatione frequētare, adhibitis alijs quoq; requiſitis circumſtantijs. Examen quotidianum conſcientiæ taliter inſtituere, quaſi peractâ Confeſſione mox è vita excedendum eſſet. Aliquoties interdiu cogitare, qualiter, & an confeſſa peccata emendare laboret, maximè quòad occaſiones euitandas, & ad euellendas imperfectionum radices ſiue cauſas. Imaginari ſibi identidem, quaſi ab ipſo Deo, ſeuero Iudice, interius continuò, non ſine rubore interpellaretur; An ſcilicet promiſſis ac propoſitis, coram Cōfeſſario Chriſti Vicario factis, ſtare velit nec ne? Aſſueſcere etiam coram Angelo Cuſtode de leuioribus & momentaneis imperfectionibus ſe frequenter culpabilem recognoſcere, per ipſum à Deo ſupplíciter veniam poſtulando, ejuſq; directionem internam per pias inſpirationes manifeſtatam, fideliter ſequendo. In ordine ad faciendam ſuo tempore debitam & ſalutarem Confeſſionem, nunc hoc, nunc illud inolitum vitium feruentius coram

tam Deo abominari, & gratiam emendationis ab illo per ſanguinem & merita Chriſti, Item per merita & interceſſionem Beatiſſimæ Virginis ac Sanctorum, præſertim Aduocatorum ſiue Tutelarium, cum tunſione pectoris enixius poſtulare, dicendo humiliter: Deus eſto mihi propitius ingratiſſimo peccatori.

Affectus igitur generalis erit ex vtraque tàm Matutina, quàm Veſpertina Meditatione eruendus: Sincerus Sacramenti Pœnitentiæ vſus: Cujus rationes Applicationis ſunt ſequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

DVbium non eſt, inter pretioſiſſimos Paſsionis Chriſti fructus connumerari, ſalutarem Sacramenti Pœnitentiæ vſum, quocirca horrendo ſanè me crimine obſtringerem, ſi tàm excelſo diuino mihi conceſſo ſalutis meæ procurandæ remedio abuterer.

Ratio ex Meditatione Veſpertina.

O Quàm ferociſsimus & prorſus deſperatus dolor inſurget in animam repro-

reprobam tempore Iuditij diuini post mortem, eo quod saluberrimum pœnitentiæ Sacramentum in præsenti vita vilipēderit, aut sacrilegè peregerit, ad quam intolerabilem & infernalem prorsus confusionem effugiendam, deinceps mihi seriò ad hujus Sacramenti frequentiam attendendum est.

Sabbatho.

Examen Exprobratiuum.

De digna frequentatione Sacramenti Eucharistiæ.

EXpenso intollerabili vitæ tuæ languore, verisimile est, te vix vnquam de hujus diuini Sacramenti nobilitate, excellentia, vtilitate, fructibus ac necessitate, seriò cogitasse, quod quàm infame & indignum sit non modò Religioso, sed & Christiano, verbis explicari nullâ ratione potest.

Vtinam ab accidia tua tādem aliquando expergisceteris, & saltem vesperi die antecedente sacram Communionem, non nihil temporis collocares in meditando immenso desiderio Christi Filij Dei quod

habuit, vt per hujus altiſſimi Sacramenti frequentationem ac ſumptionem, tibi indigniſſimo licet, amantiſſimè vniretur, omnesq; tuas infirmitates ſpirituales ſanaret, & omnes prauos affectus radicitus ex te euelleret, fuit enim hoc illius deſiderium tàm feruidum, tamque copioſum, vt à nullo humano Intellectu valeat comprehendi.

Quoties indignè, & plus quàm indigniſſimè, ex defectu antecedentis præparationis, ad hanc diuiniſſimam menſam accedere præſumpſiſti, non veritus neque Majeſtatis diuinæ celſitudinem, nec iræ cœleſtis repentinam ac ſeueriſſimam punitionem in te exequendam.

Mirum valdè eſt, ac ſtupendum, quod cum hic cibus ſit cibus fortium, prouehens animas puras ac humiles vſque ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, tua miſella anima, ex tot innumeris vicibus, quibus huc vſq; per totius vitæ tuæ curſum communicaſti, nullis vnquam virtutum incrementis creuerit, ſed inſuper etiam periculoſiſſimè ſemper in omni bono defecerit.

Vbi queſo ponderatio tàm immenſi beneficij? Vbi diligentia & feruor ſpiritus? vbi

vbi fructus vberrimi indè resultantes? vbi sitis ac fames hujus mensæ cœlestis? Vbi gratiarum actio & similia infinita, quæ à dignè communicantibus requiruntur? proh pudor coram Deo, Angelis & hominibus, qui hunc cibum supercœlestem vix vnquam ab animalium cibis discreueris, hinc tot infirmitates animæ tuæ etiam arenam maris supergressæ sunt, quæ præ multitudine numerari haud potest.

Testis est malè conscia conscientia, quoties præ horrore iniquitatum tuarũ, etiam in ipso Communionis sacratissimæ actu tibi in faciem restiterit, exprobrans tibi indignitatem & supremam ingratitudinem tuam, quia temerè nimis ad hoc Sacramentum Majestate plenissimum, temet ausus fueris intrudere, & immortalem, gloriosam ac virgineam Christi Dei Filij carnem, impuro corde & ore recipere, ô facinus crudele! ô scelus reprobum!

Fatere nunc impudentiam tuam, à quot annis Deum tuum, ac tuum Creatorem, Redemptorem, summum benefactorem, denique futurum tuum Iudicem, vix in hospitium vagabundi ac vani cordis tu introductum, mox per summam injuriam exturbaueris, malens cum insulsis, sacri-

legis, rusticis atque otiosissimis cogitationum atq; appetituum sensualium imaginibus & phantasmatibus moram perniciosam trahere, quàm Dei tui suauissimis delitijs potiri?

O quàm mortua fides tua, quàm infirma spes, quâm prorsus extincta charitas tua, quàm nulla compunctio, nulla deuotio tua in hujus augustissimi Sacramenti vsu extitit semper, quibus crassissimis defectibus continuatis meritò iram Dei in te concitasti, imò millies millesies ipsum infernum haud dubiè promeruisti.

Sed heu inter tot animę tuæ exitia grauissima tandem tibi ipsi compatere, & mētem saniorē indue, præteritas culpas defle cordialiter & amarissimè, & futuras cautè ac sedulò euita, & sacratissimum hoc Sacramentum posthac cum omni reuerētia, timore, amore, ac fideli dispositione, sanctè ac humiliter frequenta, vt inde fructum desideratum merearis percipere.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De Institutione Sanctissimi Sacramenti.

CHristus Dominus post lotionem pedum Apostolorum suorum, totus infinito

finito ſuo amore inflammatus, priuſquam diuiniſsimum hoc myſterium viuifici Euchariſtiæ Sacramenti inſtitueret, quaſi ex compaſsionis affectu verſus genus humanum ita ſecũ ratiocinari videbatur: Quid miſelli iſti facturi ſunt poſt meam ab ejs ſeparationem, & corporalem in cœlos aſcenſionem? forſitan acerbiſsimæ paſsionis ac mortis meæ obliuiſcentur, atque adeo ex diuturna mea abſentia in amore refrigeſcent, & conſequenter ſpem futuræ beatitudinis deponent, ſed quî fieri poterit, vt eos deſeram? id certè omnipotens amor meus nequaquam perferet, ideòque ipſis proſpiciendum eſt, ne fame intereãt, quocirca neceſſe eſt, vt juxta omnipotentem Sapientiam meam tale reperiam medium, quo & in cœlũ abeam, & apud ipſos pariter ſemper maneam, nimirum memetipſum illis in cibum & potum, ac certiſſimum ſolatium, per myſticam transſubſtantiationem in Euchariſtiæ Sacramento tradendo; ſic enim in exhauſto amori meo erga illos ſatisfacere potero, dum perpetuæ meæ charitati alligatos vnitoſq; per pretioſi mei ſanguinis & corporis diſpenſationem retinebo, vt illi in me, & ego in illis infallibiliter remaneam.

His Christi verbis ritè expensis, quis adeò durus corde, qui non emollitus in ej⁹ reciprocum exardescat amorem, admirans & obstupescens tàm immensæ charitatis efficaciam, quâ longè indignum & ingratum hominem circumplexus est, reddens illi ingentes & continuas gratias pro tam excellenti impenso beneficio.

Animaduerte interea, qualiter benignissimus Dominus curauerit sibi apponi modicum panis, & in calice modicum vini cum pauxillo aquæ, & eleuatis in cœlum oculis omnia consecrauit, & in corpus suum ac sanguinẽ transmutauit, prolatis super panem his potẽtissimis verbis: **Hoc est corpus meum:** Et super calicẽ: **Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti**; his peractis vlteri⁹ vide, qualiter singulis discipulis, manibus suis purissimis sese in communionẽ porrexerit, illisque pariter formam ac potestatem, idem Sacramentum consecrandi contulerit.

Respice quoque feruorem admirandum discipulorum Christi, quo eorum ardebant pectora in hujus diuinissimi cibi sumptione, quo adeò inualescebant, vt cum

cum Iesu in mortem ire non renuerint, ô quàm dulces lacrymas amor ex oculis ciebat, quæ suspiria protrudebant, languentes in dilectissimum suum Dominum, cui vni adhorrere omnibus mundi delitijs anteponebant.

Sed ecce spectaculum tremendum, perfidissimus quoque Iudas Ischariotes sese in hæc diuina mysteria intrudere non est veritus, suscipiens pollutis & reprobis suis labijs, cordeque sacrilego, immaculatum ac venerandum corpus Domini, & ideò inquit diuina Scriptura: confestim post buccellam intrauit in eum Sathanas: ad capiendum documentum, vt puro, humili, & contrito corde ad tam altum atque tremendum Sacramentum curemus accedere, ne nobis simile quid in animarum nostrarum perditionem contingat.

Insinuatur nobis hoc in loco diuinæ bonitatis immensitas erga homines, quæ cum ex inscrutabili sua sapientia prænosceret ac præuideret, successu temporis plurimos, tàm Sacerdotes quàm Laicos, indignè valdè pretiosissimū hoc epulum esse sumpturos, nihilominus tamen prædominante infiniti sui amoris pondere in genus humanum, non obstantibus tot

horribilibus futuris, idcircò noluerit tàm ineffabile beneficium, ob ſalutem paucorum ſubtrahere, qui illo fructuosè eſſent vſuri, quæ certè ſupremæ Majeſtatis dignatio ſummè admiranda & extollenda eſt.

Hujus diei præſentia diuina, erit; **Chriſtus Dominus inſtituens Sanctiſsimum Sacramentum Altaris:** Et pro memoriali ſequẽtibus actibus ſtabilietur.

AMantiſsime Domine mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. propter illud, tuum inſatiabile deſiderium quod habuiſti, priuſquam tranſires ex hoc mundo ad Patrem, generi humano præſtantiſſimum amoris tui intimi pignus pro æterna memoria relinquendi.

Dulciſſime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia philtrum amatorium tuæ excellentiſsimæ charitatis, quo animæ fidelium paſcerentur, & tibi colligarentur, ſub ſpeciebus Euchariſticis panis & vini quàm ingenioſiſsimè incluſiſti.

Liberaliſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia verum tuum corpus, & ſanguinem, & Animam, & totã tuam diuinitatem, in hoc auguſtiſsimo

Sacra-

Sacramento, nobis licet ingratissimis hominibus tàm amanter donasti, & sumendum reliquisti.

Potentissime Redemptor mi, Ego N. vt supra, &c. Quia discipulis tuis, & omnibus ritè ordinatis, potestatem hoc diuinissimũ epulum conficiendi mirabiliter dispensasti.

Suauissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia proprijs sacratissimis manibus tuis, in vltima cœna, Apostolis tuam pretiosissimam carnem, & sanguinem, tenerrima cum amoris significatione tàm dignanter porrexisti.

Misericordissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia tot & tàm ineffabiles infinitæ bonitatis tuæ effectus, præsertim intensissimi amoris tui flagrantissima incendia in cordibus Fidelium, dignè te in hoc Sacramento recipientium, diffudisti.

Clementissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia strictissima & indicibili vnione animas puras & humiles, in hoc Eucharistiæ Sacramento tibi quotidiè per connubium castissimi amoris copulas.

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De Amore diuino.

EXpende Dei versus nos amorem esse æternum absque vllo principio, siquidẽ non solum nos amauerit, priusquam è vẽtre matris effunderemur, sed etiam ante creationem totius vniuersi ante omnia sæcula, adeò vt hujusmodi amor antiquitate suâ ipsummet Deum adæquet. Est autem non solum æternus, quòad durationem, sed etiam infinitus, quoad magnitudinem, quippè intensior est & major amore patris & matris, Angeli & Archangeli, Cherubim & Seraphim, imò si vniuersus amor spirituum cœlestium, sanctarumque animarum jungeretur, non modò diuinus amor prædictum amorem excederet tantum, quantum totius mundi machina excedit minimum arenulæ granum, sed adhuc multo amplius in infinitum.

Est hic amor diuinus non solum infinitus, sed & totalis ac singularis, totum enim se nobis applicat, & licet Deus se ipsum & omnia alia hoc eodem amet amore, non idcirco erga nos diminuitur, sed æquè arden-

ardenter nos diligit, in omnium electorũ societate, ac si quemlibet nostrum in particulari solum amaret: Ratio est, quia amor creatus cum sit limitatus & finitus, quò pluribus accommodetur, eò minus à quolibet participatur, verùm amor increatus cum sit infinitus, non ideò quia alia diligit, & rursus cum sit indiuisibilis, necesse est, vt cui applicatur, totaliter applicetur.

Vlterius etiam diuinus amor actualis est, id est, semper nos amat per interminationem amoris, ita vt ne momento quidem temporis interrumpatur, non instar amoris humani, qui aut propter varia negotia incidentia, aut propter absentiã amati nonnunquam cessat, sed diuinus hic amor continuus est, quem ob suam infinitatem nihil penitus valet interrumpere: Et ideò eâdem feruoris intensione jam nos amat Christus, quâ olim tempore suæ amarissimæ passionis, & tanto cum amore jam nos præsentat patri æterno, quanto dum expiraret in Cruce.

Animaduerte hunc amorem esse quoq; summè efficacem, producit enim in DEO omnes illos effectus, quos in hominibus generare consueuit amor velox, & quodam-

dammodo eum languidum, ebrium, suspirantem, ac præ nimio desiderio morientem reddit, demptis tamen quibuslibet inconuenientibus, quæ in humano passim exurgunt amore.

Est & excessiuus diuinus amor & gratuitus, quia mirum est, quàm in illos feratur, qui sunt omni odio ac pœnâ dignissimi, & quod feruentius agat, quàm vnquam vllus Pater in filium, aut sponsus in suam dilectissimam sponsam præstiterit, præsertim cum homines adeò sint deformes ratione peccatorum suorum: sed tamen vel maximè admirabile est, quod idē hic amor vnigenitum Dei filium in sanguinis effusionem & crudelissimam mortem pro salute humana subeundam impulerit: Gratuitus etiam est, quia neutiquā in nos propter nostra merita præcedentia, neque aliam ob causam similem deriuatur, quippè Deus benedictus in se solo felicissimus nullius operibus eget, quandoquidem ex sola pura, ac mera gratia sua nos diligat.

Colligimus hinc, diuinum amorem pariter esse liberalem, patientem ac perseuerantem, quæ sunt propriæ conditiones veri ac sinceri amoris; Liberalis est, quia non

non ex nobis, ſed ab illo ſolo vniuerſa bona tàm animæ, quàm etiam corporis honorificentiſſimè communicantur: Patiens eſt, quia tot improbitates noſtras ſuffert, cum enim ſimus peſſimi & ingratiſſimi, atque indies innumeris delictis grauiſsimis eum ad iram prouocemus, millies digni in inferni barathrum detrudi, nihilominus cuncta patientiſsimè diſsimulat, longanimiter emendationem noſtrã exſpectans: Tandem perſeuerans eſt, quia nec hominum ingratitudo, neque aſperrima ſacræ ejus paſsionis tormenta, neque mors ipſa potuerunt hujus amoris curſum impedire, quin non ſemper duraret: Quapropter cum amoris nobilitas aliter compenſari nequeat, quàm reciproco amore, opera danda eſt, vt in perenni ſtudio ſancti amoris ardenter proficiamus.

I. Actus Interni.

INuitas me, ô ſublimiſsime cœlorũ Rex, immenſo cum amoris tui affectu tàm dignanter quotidiè, ad conuiuium cœleſtium diuitiarum tuarum, attamen ego inſulſus & inſipiens ruſticus, incomptis multiplicium vitiorum meorum defœdatis ſemicinctijs, accedere non vereor neq;

eru-

erubeſcis, quod ſcelus meum omni meritò acerbiſsimo luctu deplorare deberem.

O pijſsime Deus, vtinam ex tot millenis à me huc vſq; frequentatis communionibus, vel vnam ſolam debitè recepiſſem! quid ni ſtatim in ardentem ſeraphim cõmutatus fuiſſem, ſed nunc, proh dolor, inſenſatus maneo, quod ſanè coram cœlo ac terra obſtupeſcendum eſt.

Heu mitiſsime Deus, Amici tui fideles, ſecum ad diuinam hanc menſam afferunt Intentiones rectiſsimas, feruentiſsima deſideria, propoſita ſanctiſsima, ſuſpiria amoroſa, lacrymas tenerrimas, mentales cordis puriſsimi aſcenſiones, virtutes copioſas & excelſa merita, quæ hinc ampliora ſumunt incrementa: Ego verò ad majorem mei ipſius confuſionem velut abortiuus, pauper & egenus aridiſsimam adduco animam, omni piarum affectionum ſucco deſtitutam, eò quod tàm inſipienter, tàm tepidè & tàm incogitanter hîc comparere auſim.

Propono tandem, ô dulciſsime Domine Deus meus, poſthac ex tua gratia, cum omni fidei viuacitate, ſpei firmitudine, feruenti charitate, magnâ delictorum meorum compunctione, & cum profun-

da

da humilitate, non casu, sed præmeditatè, ad augustißimam pretiosi corporis & sanguinis tui sumptionem accedere, vt hac escâ in saginatus æternæ mortis mediam euadere poßsim.

O Domine mi Iesu, vtinam posthac dignè semper mecum expenderem tuum illud celeberrimum oraculum, quando dixisti: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Et iterum: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & Ego in eo: certè ejus gustu abreptus, siliquis porcorum vlterius non delectarer, sed cum ingenti fame huc quantocius properarem.

II. Actus Externi.

CAutißimè ac diligentißimè se per opera siue exercitia pia aliqua pro recipienda sanctißima Communione disponere, v. g. per aliquas discretas abstinentias, orationes vocales, opera alicujus pœnitentiæ siue afflictionis carnis: Quoties noctu expergesit, vel interdiu recordatur sanctissimi Sacramenti, toties anxiè & desideranter ad illud propediem sumendum aspirare: Nonnullas per diem reuerentias, inclinationes vel genuflexiones versus

locum

locum ſeu Eccleſiam ; vbi ſanctiſſima Eucharistia conſeruatur , cum ingenti æſtimatione facere. Affectuosè cum alijs de hoc diuiniſſimo Sacramento libenter loqui, vel ſecum cogitare frequenter, qualiter illud recepturus ſit. Poſt receptam auguſtiſſimam Communionem immediatè ſe detinere amanter cum Chriſto ibidem realiter præſente, per actus fidei viuæ, quietæ adorationis, gratiarum actionis, oblationis, admirationis, deſiderij, conſignationis, amoris, humiliationis, petitionis. Inuitare etiam D. Virginem, Sanctos ſuos Tutelares, S. Angelum Cuſtodem, & omnes creaturas, cum ingenti ſpiritu, ad Deum tuo nomine laudandum. Præſentare Chriſto in ejus obſequium propriarum virium, potentiarum & ſenſuum functiones, maximè Intellectum, Voluntatem & Memoriam. Euitare etiam minimas imperfectiones, ne hoc diuino cibo indignus reddatur. Aduertere deniq; ſeriò, qualiter ex hoc Sacramento creſcat in ſpiritu & ſanctitate, & vniuerſa impedimenta & obſtacula quantocyus remouere.

Affe-

Affectus igitur generalis ex vtraq; tàm Matutina quàm Vespertina Meditatione eruendus, erit: Digna augustissimæ Eucharistiæ receptio: Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

SVppositâ sublimissimâ celsitudine, inæstimabili dignitate, ineffabili vtilitate, & præcisâ necessitate diuinissimæ Eucharistiæ, omninò conuinci deberem, vt ad illam dignè ac reuerenter recipiēdam, sedulò me indies disponam.

Ratio ex Meditatione Vespertina.

QVandoquidem diuinæ charitatis immensitas erga homines in isto præsertim diuino Sacramento singularissimè eluceat, totis viribus mihi enitendum est, vt illam non tantùm recognoscam, verùm etiam opere probem ac testificer, me Deum redamare, quod vtique fiet, vbi ad sanctißimam Synnaxin, quàm possum auidißimè, humillimè ac dispositißimè accessero.

Dominica.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus Regulæ, Constitutionum, Ordinarij, Cæremoniarum Religionis, Capituli, & ſimilium actuum obſeruantiæ clauſtralis.

QVod ſi nomen Religioſi diſcuſſeris, veriſsimè comperies, te ab eo tempore, quo habitum ſanctum portaſti, non magis Religioſi partes impleuiſſe, quàm ſi nunquam in cognitionem vllam hujus angelici ſtatus perueniſſes, tàm effrenem, diſcolum, non dicam temerarium coram Deo, Angelis & hominibus, in vniuerſis actibus & moribus tuis te ſemper exhibuiſti.

Statue obſecro teipſum contra faciem tuam, & ſincerè confitere, an vnquam tuæ Profeſsionis Regulam & Statuta tanti feceris, quaſi non ab homine fragili, ſed à Deo immortali cœlitus accepiſſes: vel an vnquam credideris, Regulam tuam eſſe viam rectam tuæ vocationi conformem, quâ tibi ad omnem perfectionis obligationem

onem aſcendendũ, & conſequenter principaliſsimum medium tuæ ſaluationis obtinendæ foret? prorſus mihi perſuadeo, habitâ tuâ diſſolutiſsimâ viuendi ratione, nihil ejuſmodi te in corde tuo agitaſſe.

Auſim profectò ſanctè affirmare, te à tot annis, quibus Religionem profeſſus es: (faxit Deus vt errem) ne quidem ex integro adhuc noſſe Conſtitutionum tuarum vim & ſubſtantiam, atque adeò ex ſupina negligentia, & habituali languore animi, nunquam huc vſque contendiſſe, vt leges tibi à Deo datas reuerenter perſcrutaueris, & opere ipſo in praxim, ob craſſam nimis & inexcuſabilem earundem ignorantiam, emitteres.

Quid eſt, quod adeò perfrictæ frontis extiteris, vt non ſolum omnem monaſticæ diſciplinæ obſeruantiam inſipienter neglexeris, ſed quod & dictu ſacrilegum eſt, ipſa Sancta Sanctorum conculcaueris, id eſt, profeſſionem tuam, Conſtitutiones, & ſacros ritus Ordinis tui, ore nonnunquam maleuolo, non ſine audientium ſcandalo, ſeuerioris diſciplinæ prætextu carpere præſumpſeris, vt tuam incorrigibilem deſidiam pallio infatuati zeli cooperires.

Expende quæſo ſingulorum rituum Ordinis tui obligationes, & indè profectum tuum metire, & confer priora cum posterioribus, & è contra, quippè clarè conuinceris, te non niſi fœtidam quandá cloacam omnium imperfectionum, defectuum ac vitiorum extitiſſe, ita vt abſque pudore, horrore & rubore temet reſpicere non valeas.

Veruntamen intermiſſis leuioribus ad generaliora conuertere, & ex ijs aliorum deformitates concipias. Quis obſecro capituli & quotidianæ correptionis fructus in lapide duriorem animam tuam dimananit? Quâ fidelitate monita ſpiritualia illic excepiſti? quâ integritate impoſitas pro millenis imperfectionibus tuis pœnitentias compleuiſti? quoties obmurmuraſti? Quo abſtinentiæ ſpiritu refectionis locum adijſti? qualiter te ingurgitaſti? quâ attentione lectioni ſacræ intendiſti? cum quâ gratiarum actione indè egreſſus es? Quâ promptitudine, & quo feruore diuinis laudibus interfuiſti? & quo rigore ſtatutis temporibus tuam conſcientiam diſcuſſiſti? quàm velox in recreationibus arripiendis, & quàm tardus ad mortificationem tui & pœnitentiam ſemper fuiſti?

& vno

& vno verbo innumera complectar, totus quantus es, viuum exemplar omnis remissionis & inobseruantiæ interius exteriusue huc vsque extitisti? Vtinam ergò saperes tandem, & nouissima tua maturè prouideres.

Quod si ordinis substantialia apud te nihil aut parum valuerint, quid de sanctissimis consuetudinibus & cæremonijs dicendum erit? quanti eas fecisti? minus quàm minimum capillum capitis tui: hinc euenit, vt omnem gustum spiritualium exercitiorum meritò perdideris, & omni cordis compunctione infeliciter priuatus sis, eò quod decorem domus Dei impiè neglexeris, qui sacris cæremonijs fouetur.

Certissimum habe, te huc vsque non nisi materialiter in religione vixisse, omni formalitate spiritus ac deuotionis seclusa, simiam potius ludicram & ineptam in omnibus tuis actionibus egisse, quàm verum religiosum, & respectibus potius humanis, quàm veris virtutibus operam dedisse, quod quàm turpe sit & ignominiosum, tecum sincerius euolue, vt emenderis.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De Christi Domini accusatione apud varios Pontifices?

MEnte recollectâ aspiciat Saluatorem mundi, summâ cum ignominia à furentibus latronibus, Scribis & Pharisæis, abduci ad Annam sceleratum Pontificem; Ecquis cogitare posset, quas nam molestias, quales injurias, quantam crudelitatē, quem denique contemptum in hoc mœstissimo itinere ab ijs sit perpessus, quot diris verberibus affectus, quot blasphemijs scissus, quoties venerandos ejus capillos nequiter traxerint, atque in faciem diuinam illius, etiam Angelis formidabilem expuerint, & in domum nefarij pontificis intruserint, ab eodem neci crudelissimo adjudicandum?

Aduerte quoq; cum ingenti cordis teneritudine ac compassione, quàm humiliter Dominus supremæ Majestatis, totus amore nostri deformis, horribiliter vinctus steterit, fœtido platearum puluere ac luto coinquinatus, demissis oculis, virgineo suffusus rubore, & amicabili aspectu,

ctu,coram illo vilissimo & inflato peccatore Anna, cui procaciter ac superbè nimis de doctrina ejus interroganti,mitissimus Redemptor noster respōdere dignatus est: Ego palam locutus sum mundo,ego semper docui in Synagoga, & in templo,vbi omnes Iudæi conueniunt, quid me interrogas? Interroga eos,qui audierunt, quid locutus sum ipsis, &c. Auditis his Christi verbis(heu rem execrabilem)vnus assistens ministrorum, homo impius & perfrictæ frontis, horribilem mox alapã Iesu impegit, inquiens,sic respondes Pontifici? Excepit autem colaphum hoc infame Iesus blandissimo vultu, ita vt non faciem contraxerit in rugas, non excanduerit ad iram, non linguam laxauerit ad contumelias, neque manus extenderit,ad sui capiendam vltionem, sed modestè ac mansuetè respondens dixit: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè, quid me cœdis? &c. quibus verbis suam inuictissimam patiētiam, cœlo terræque obstupescendam, omnibusq; imitandam manifestauit.

Interim in hujus improbissimi Pontificis aula Christi dolor incrementum sumpsit ex Apostoli Petri trinâ abnegatione, &

quidem cum juramento, quo ſanè diſcipu-li lapſu indulgentiſſimus Magiſter graui vulnere intrinſecus ſauciatus eſt, ſed quia fons erat miſericordiæ, noluit illum diu-tius à ſpirituali morte abſorberi, ſed ad il-lum celeriter oculos ſuę pietatis reflectẽs, tàm efficacem illi compunctionem immi-ſit, vt ad ſe reuerſus Petrus, ſtatim foras pudibundus exiuerit, & amarè delictum patratum defleuerit.

Poſthæc innocentiſſimus Dominus, li-gatus catenis & craſſis funibus, ad domum Caiphæ transmiſſus eſt, vbi principes Iu-dæorum conuenerant, deſiderantes Chri-ſtum turpi neci tradere, ô quàm humili-ter Rex gloriæ illis adſtitit, manibus vin-ctis inſtar latronis, diſcerpendus vnguibus ſæuiſſimorum inimicorum ſuorum, qui in illum ex inueterata malitia plurima teſti-monia falſa confinxerant, vt citius dam-natum occiderent.

Verum cum nullum eſſet conueniens, furibundus Pontifex eum per Deum viuũ adjurare præſumpſit, vt palam fateretur, an eſſet Chriſtus Filius Dei; cui Dominus manſuetiſſimè: Tu dicis, quia ego ſum, ve-runtamen dico vobis, amodò videbitis fi-lium hominis ſedentem à dextris virtutis

Dei,

Dei, & venientem in nubibus cœli, &c. Quibus auditis, princeps Sacerdotum ſciſſis veſtimentis ſuis clamoroſè erupit dicens: Blaſphemauit, quid adhuc egem⁹ teſtibus? Inſilientesque in eum velut leones ferociſſimi, pugnis & verberib⁹ aſperrimis grauiter debilitarunt totâ illâ nocte, fueruntque tales & tàm enormes injuriæ illæ, vt teſte D. Hieronymo earum improbitas & malitia, non niſi in extremo Iudicij die reuelandę ſint coram mundo vniuerſo.

Adductus eſt Dominus à Caipha ad Pilatum à Iudæis, vbi eum denuò pertinaciter accuſabant, vrgētes ſententiam mortis, verùm cum nullam in eo mortis cauſam reperiret faſtuoſus ille præſes, ad Herodem eum amandauit, ſed cum nec Herodi, deſideranti curioſius aliquod videre miraculum, vllum reſponderet verbum Ieſus, tanquam fatuus deſpectus fuit ab omnibus ejus aulicis, & in eum finem albâ indutus veſte, ſemitonſus, cum multis improperijs è palatio expulſus iterum per viliſſimos carnifices Pilato remiſſus fuit, qui quidem eripere ipſum ex eorum manibus nitebatur, quandoquidem ex mera inuidiâ traditum nouerat, veruntamen

pertimeſcens offenſionem Cæſaris, Iudæis improbè crucifixionem Saluatoris vrgentibus, tandem illum peruerſæ eorum voluntati tradidit crudeliter enecandum.

Hujus diei diuina præſentia erit: Chriſtus Dominus diuerſis Iudicibus præſentatus: Et pro memoriali ſequentibus actibus ſtabilietur.

INnocentiſsime Saluator mundi IESV Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia poſtquam captus eſſes, tàm ignominioſè propter meam ſalutem, inter ludibria fœdiſsima, & mordaciſsimas irriſiones, diuerſis ſcribarum & Phariſæorum tribunalibus non dedignatus es offerri.

Mitiſsime Domine Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia per plateas publicas, per lutum & graueolentas lacunas ciuitatis Hieroſolymitanæ, malitioſiſſimè raptatus, & vndiq; fœdatus fuiſti, cum indicibili laſſitudine tua, vt etiam vix habitum traheres.

Iuſtiſſime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia admodùm mendaciter & falſò à perfidis Iudæis cum inſanis clamoribus accuſatus fuiſti.

Patien-

Patientiſſime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia manſuetè nefario Iudici reſpondens, duriſſimo colapho in facie cœſus fuiſti, nullâ habitâ reuerentiâ perſonæ tuæ eminentiſſimæ, quæ ei tàm à cœlo, quàm à terra debebatur.

Benigniſſime Domine mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia ex trina negatione Apoſtoli Petri admodùm afflictus fuiſti, ſed nihilominus eum ſuauiſſimo tuo aſpectu ad intimam cordis compunctionem cum lachrymarum perfuſione reuocare miſericorditer voluiſti.

Sapientiſſime Fili Dei, Domine mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia ab Herode ſuperbiſſimo, in longa veſte alba inſtar fatui ſemitonſus irrideri, & ad Pilatũ cum ingenti deſpectu remitti non detrectaſti.

Suauiſſime Redemptor mi, Ego N. vt ſupra, &c. Quia tota illa nocte amariſſimæ paſſionis tuæ ab infenſiſſimis tuis hoſtibus obſeſſus, horrendis crudelitatibus, contumelijs & ſubſannationibus, verberibus, illuſionibus, & innumeris exquiſitis tormentis in te innocentiſsimum, continuè deſæuiri permiſiſti.

Medi-

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De duabus viis vitæ ac perditionis.

DVplex hominibus in hoc ſæculo degentibus via offertur, vna perditionis, latiſſima, & altera vitæ ſiue perpetuæ ſaluationis, ſed arctiſſima : quod ſi priorem reſpexeris, animaduertes illam plenam voluptatibus carnalibus, guloſitatibus, auaritijs, luxurijs, ambitionibus, & vanitatibus hujus mundi, quibus viatores periculosè illaqueantur, & tandem, quãdo minus cogitant, præoccupati horâ mortis inſperatâ infeliciter in inferni præcipitia deuoluuntur.

Animaduerte, qualiter viatores hujus miſerrimæ viæ ſtipendia faciant ſub vexillo ſordidiſſimo ac nigerrimo peccati, quorum Dux & Capitaneus alius nõ eſt, quàm Lucifer infernalis, ſic vt ab eodem ſingulis fermè momentis in turpiſſima crimina impellantur, atq; interim ſub viridi herba alicujus ſenſualis delectationis, mille conſcientiæ diriſſimis remorſibus, vſque ad ipſam deſperationem nonnunquam lacerentur, quib⁹ ficta illa dulcedo veraciſ-

ſima

ſima amaritudine ac mœſtitia acerbâ obruitur, quippe via mundi, via fraudis, doloris & pœnarum eſt innumerabilium.

Quod ſi ad viam arctam oculos tuos collimaueris, illam quidem forinſecus montoſam, accliuem, aſcenſu difficilem reperies, & ob prominentes hinc indè ſaxorum immanium crepidines horridam & aſperam, magnisque anguſtijs ſub ejuſdem principio concluſam, vix frequentatam, niſi quod exigua quædam hominum ſocietas illam ingrediatur in ſilentio, oculis modeſtè compoſitis, & mentibus in cœlum erectis, quæ ſolent eſſe proprietates viatorum itineris hujus.

Vt autem horum felicium peregrinorum conditiones meliꝰ addiſcas, animaduerte eos omnes eſſe pauperes ſpiritu, prædiuites tamē virtutibus, priuatos quidem ſolatio humano, & toti mundo exoſos, ſed intimos Chriſti amicos, qui eos in hac via tanquam Pater, Dux & Capitaneus benigniſſimè antecedit, nam ſub ejus vexillo ſanctiſſimæ Crucis omnes militāt, quorum in laboribus & afflictionibus ſudores, ipſimet Angeli comites, blandè abſtergunt: Imò dulciſſimus Dominus Angelorum & hominum ſæpe ſæpius in hoc itinere

itinere ad eos conuersus, verbis diuino amore prægnantibus, illis animum addit, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, &c. quâ consolatoriâ exhortatione omnes mirificè recreantur, & in progrediendo versus cœlestem Ierusalem indefatigabiliter tendunt.

Discrimine vtriusque hujus viæ agnito, ad maturam electionem progredere, despectoque Sathanico comitatu, ad pusillũ Christi gregem anhela, eumque sic interius dicentem audi: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me, &c. Quasi apertius loqueretur: Quicunque desiderat me sequi ad gloriam, necessarium ei est ante omnia, vt ex toto corde renunciet viæ latæ hujus sæculi, ipsiusque pompis, delicijs, vanitatibus & prosperitatibus: Et insuper seipsum abneget mortificando suas affectiones, inclinationes, passiones, propriam voluntatem & Iudicium proprium amore Dei, supportando ex mea dispensatione quaslibet aduersitates sibi obuenientes, ac demum conetur mearum excellentissimarum virtutum exempla imitari.

I. Actus

I. Actus Interni.

O Vtinam, vtinam excusso tandem omni tepore ac languore Spiritus, posthac in obligationē Professionis meæ, solerter ac perseueranter incumberem, ne forsitan in die vltimi computus vnà cum mercenarijs negligentibus & otiosis nō sine rubore in exilium perpetuæ damnationis exturber.

Sunt omninò, Domine mi Iesu Christe, Regula & Constitutiones monasticæ velut sacratissimæ leges diuinitus mihi præscriptæ, tot Sanctorum virorum oraculis comprobatæ, cur ergò eas non sollicitè, integrè ac reuerenter, etiam quoad minimos illarum apices contendam vsq; ad mortem adimplere?

Iuraui certè ac firmiter statui, Redemptor mi, propter te ex nunc custodire Regulam & Constitutiones meas quàm exactissimè semper, prȩsertim cū jam pridem palàm coram omnibus in die Professionis meæ, & quidem sponte & non coactè ijs me obligauerim, proindè citra omne dubium perjurus fierem, vbi vel minimas Ordinis cæremonias scienter præterirem.

Sapientissime Domine Deus me⁹, quod si præ-

ſi præcepta Decalogi, quæ olim hominibus obſeruanda tradidiſti, cum omni timore tuo pariter & amore ſemper reuoluenda & colenda ſint, non minori profectò in æſtimatione habenda eſt obſeruantia monaſtica, vtpote à temetipſo quoq; inſpirata, pro cujus rigoroſo & exacto cultu ſanguinem ſingulis etiam momentis profundere paratus ſum.

Certè Domine mi Ieſu, Regula mea & Conſtitutiones, viæ ſunt ſalutis, viæ pulchræ, ſemitæ Iuſtitiæ, per eas ſi quis fideliter ingreſſus fuerit, nunquam à ſcopo cognoſcendæ veritatis, aut religioſæ perfectionis obtinendæ aberrabit, quapropter omnem operam nauabo, vt in ordine ad earundem obſeruantiam, neq; ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinem, ne me forſitan infeliciter præcipitem.

O ſanctiſsime Deus, exercear prorſus inpoſterùm diligentiſsimè in tuis juſtificationibus cum omni feruore, vſq; ad vltimum halitum, vt hujus mortalitatis tranſacto curſu, tandem in albo ſeruorum tuorum fidelium inſcriptus inueniar, ſine quo indubitanter mihi foret pereundum.

II. Actus Externi.

Legere

LEgere indies aliquod caput proprij Ordinis Conſtitutionum ſiue Inſtru-ctionum, cum ſeria aduertentia eorum, quæ ibi aſſeruntur. Nil vnquam contra Regulam & Conſtitutiones, quantumuis minimum, aduertenter admittere, ſed ad amuſsim magno cum zelo diſciplinæ monaſticæ totum obſeruare. Nil vnquam ex Conſtitutionibus ad proprium ſenſum inaniter interpretari, vel retorquere, neque malitioſè carpere, vel ei obmurmurare, neque permittere vt alij id faciant, ſed potius de omnibus legibus probè ac humiliter ſentire. Aliquot interdum actus Congratulationis & gaudij producere, quod in tali ſit Congregatione, & talibus ſubjaceat legibus, Deo gratias referendo. Seriò ad particulares Ordinis obſeruantias, cæremonias, & ſanctas conſuetudines, cũ magna earundem æſtimatione attendere, præſertim ad quotidianos actus Communitatis, ſcilicet Chori, Orationis mentalis, Examinis conſcientiæ, & ſimilium, juxta ſuam vocationem ſeu profeſſionem. Cauere ab omni minima relaxatione vel praua introductione. Quod ſi quidpiam perperam introduci cerneret, id mox ex zelo diſcreto prudenter ſuis locis & tem-

poribꝰ coram ijs modeſtè exponere, quorum intereſt, & ad quorum officium ſpectat emendationis vigilantia.

Affectus igitur generalis ex vtraque Meditatione, tàm Matutina, quâm Veſpertina eruendus, erit : Monaſticæ Obſeruantiæ diligens cultus : Cujus rationes Applicationis ſunt ſequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CHriſtus Dominus & Redemptor noſter, vt Patris ſui cœleſtis voluntatem accuratè adimpleret, non ſolùm per majora, ſed etiam per minora tormentorum & vilipenſionum genera opus noſtræ Redemptionis exequi voluit, vt ſcilicet & Ego exemplo illius, diuinam voluntatem per omnimodam Regulæ meæ & Monaſticarum Conſtitutionum obſeruantiam, etiam in minimis actibus perfectiſſimè exequerer.

Ratio ex Meditatione Veſpertina.

DVbitare mihi non licet, rectiſſimam & longè ſecuriſſimam ad cœlum viam eſſe, Ordinis mei Regulam & ſtatuta, pro cujus certitudine etiam mille mortes appetam.

ITER

ITER SECVNDÆ SEPTIMANÆ.

Feria ſecunda.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus Voti Obedientiæ.

DVm hujus excellentiſſimi voti neceſſitatem atq; ſtrictiſſimam obligationem expendo, admirabilem & ridiculam valdè in te metamorphoſim animaduerto, quippè præpoſtero ſenſu verbum (voueo) accepiſſe videris, dum Profeſſionem ſolemnem emiſiſti, ac ſi dixiſſes: Verbis quidem obedire promiſi, ſic tamen, vt propriæ voluntatis meæ executio non impediatur, in quo ipſo, & Deum & homines, & teipſum turpiter irridere non erubeſcis.

O quot meritorum cumulis, & quot illuſtriſſimis coronis te hucuſq; inſipienter priuaſti, dùm adeò perfidè ac infideliter &

toties obedientiæ votum, si non fregisti omninò, ad minus imperfectissimè practicasti.

Venit Filius Dei in hunc mundum, non vt suam, sed vt Patris sui cœlestis voluntatem faceret, & potius ignominiosam crucis mortem subiret, quàm diuinum beneplacitum ejus non perfectissimè adimpleret, in quo vnico excellentissimè Patrem suum glorificauit coram Angelis & hominibus: Iam ergò ad te cum magna tuiipsius confusione oculos reflecte, vt cognoscas, quàm impiè & improbè Deo gloriam suam furatus sis, dum illius voluntate contemptâ, tuam plerumque voluntatem proteruè secutus es.

Quod si de imediatâ Dei volũtate loquamur, nẽpè de diuinis inspirationib9 & sanctis motibus internis diuersimodè occurrentibus, nunquid non te reum, velis nolis, proclamabis, qui tanti Deum te ad meliora vocantem attenderis, ac si non Deus, sed vilissimus aliquis rusticus, aut homo cerebrosus ac mente captus tibi loqueretur? Itane tergum Deo viuenti per summam injuriam toties vertere ausus fuisti? Vtinam oculos tuos cœcos aperires, vt videre posses hanc veritatem, nempè, ab vnica

nica frequenter inſpiratione diuina acceptata aut rejecta, totam ſalutis ſeriem dependere, crediderim ſanè te, ſi non amore boni, ad minus timore futuri ſupplicij, Deum tibi interius loquentem, diligentius auſcultaturum eſſe.

Sed dic quæſo, an voluntatem Dei ſcriptam, & per voces Superiorum tuorum expreſſam, vnquam ſicut decet, & ſtrictiſſimè obligaris, perfeciſti? certus ſum, conſcientiam tuam reluctari, & interius grauiſsimè obloqui, quod nec promptè, neq; celeriter, nec fideliter neque integrè, nec diligenter neque ſimpliciter, nec humiliter neque reſignatè vnquam, neque conſtanter obedieris, & inſuper ſuperbè ac turpiſſimè juſſis Superiorũ obmurmuraueris, eorum intentiones temerè interpretando, & non infrequenter etiam proximum tuum manifeſtè per tuam inobedientiam ſcandalizando.

An ne te obedientem dixerim, qui tot annis (pro pudor) ne quidem prima Obedientiæ elementa didiciſti, enutritus in ſchola obedientiæ, quæ eſt religio ſancta, & quidem talis, ſcilicet Carmelitarum Diſcalceatorum, vbi ſanctæ Obedientiæ

 puri-

puritas & integritas eminenter celebratur, & in vſu eſt momentaneo.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De crudeli Saluatoris flagellatione.

IMmitiſſimus Pilatus, ſolis reſpectibus humanis inductus, innocentem Redemptorem noſtrum ſæuiſſimo flagellationis ſupplicio adjudicauit, quem tamen ſummè innoxium nouerat, & ex merâ & rabida Phariſæorum inuidia accuſatum; nam illius impijs juſſionibus mox crudeles lictores obtemperantes, Christum Dominum è medio rapuerunt, & ejus veſtibus impudenter detractis, prorſus nudum omnium oculis expoſuerunt, ita vt illic adſtaret ſpecioſiſſimus & elegantiſsimus mortalium, diuiniſsimus triginta trium annorum juuenis, virgineo affectus pudore, in ſua innocentia ſimplici inter horridas & immundas ſacrilegorum manus.

O quantum angebatur honeſtiſsimum cor Chriſti inter tot infames contumelias, quas cauſa noſtri recipiebat? Vbi nullus reperiebatur, qui pro honore ejus tuendo ne os quidem aperire dignaretur,

tàm

tàm horribilis & blaſphema eſt hominum peccatorum in Deum ſuum ingratitudo.

Interea pijſsimus Redemptor ad quandam columnam in medio atrij illi⁹ ſitam, alligatus eſt adeò ferociter, vt cruor pretioſus ex ſacrorum digitorum ejus vnguibus ſtillaret, vbi etiam tàm inhumaniter fuit dilaniatus toto corpore, vt membra illius tenerrima ſanguine abundantiſsimè perfunderentur, quippè non ſolùm ſuperficialiter flagellarunt, ſed & delicatam carnem inhumanis diſcerpsêre cruciatibus, vulnus vulneri, dolorem dolori ſuperaddentes, vt planè excoriatus videretur.

Reſpice nunc Regem Angelorum in his ſæuiſsimis cruciatibus modeſtiſsimè conſiſtere, & pleno cum affectu ardentiſsimæ charitatis ſuæ, omnem hanc afflictionem pro noſtris peccatis libentiſsimè perferre, floridiſsimaque ſua membra vndique lacerata, pro ſalute humana, cœleſti Patri in hoſtiam viuentem placationis, deſideranter offerre; Nam licet benigniſsimus Dominus horribilia pateretur, tamen multo adhuc plura, ſalutis noſtræ causâ, perferre ſatagebat, vt nobis ineffabilem flagrantiſsimi ſui cordis amorem teſta-

tum redderet: Flagella quidem carnificum totum ejus ſacrum corpus ferociter lacerarant, ſed amor indefatigatus ſtabat, defluebat ſanguis pretioſus ad peccatores in terram, ſed ſpiritus ejus pro nobis erigebatur in cœlum. Et quamuis tàm ſæuis vndique correptus eſſet doloribus, vt ob naturalis complexionis excellentiam & teneritudinem, quilibet etiam ictus cor ejus ſanctiſſimum penetraret, nihilominus tamen adeò voluntas illius Deo & hominibus ſubijciebatur, vt nihil prius optaret, quàm Patris exactioni ſatisfacere, hominemque redimendo ab æterna morte liberare.

Fuit ſanè flagellatum Saluatoris corpus non niſi vnius vulneris laniena, omnes venæ quaſſatæ horrebant, nerui debilitati tremebant, pauimētum ipſum ſubjectum roſeo ac recenti cruore madebat, veſtes quoque carnificum ſanguine ſtillabant, & tamen non erat, qui pro innocente Domino in tribulationibus conſtituto reſponderet verbulum vel minimum: ſanè mirum eſt, qualiter cœleſtes illi ſpiritus vindices manus ſuas continuerint, ſpectantes Regem & Imperatorem ſuum à viliſsimis peccatoribus oppreſſum, tot

contu-

contumelijs atque injurijs affici, quin non statim cœlo lapsi, in hostes Dei irruerent, verùm benignitas Saluatoris id non ferebat, qui pro hominibus & pati & mori elegerat.

Hujus diei diuina præsentia erit: Christus Dominus acerbè flagellatus in columna: Et pro memoriali sequentibus actibus stabilietur.

O Mansuetissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia ab iniquissimo Iudice Pilato ad supplicium crudelissimæ flagellationis improbè adjudicatus fuisti.

Clementissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia propter meam salutem absq; vllo reuerentiæ respectu, coram omnibus summa cum injuria per carnificum manus proprijs vestimentis denudatus fuisti.

O mansuetissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia duris & crassis funib⁹ arctissimè ad columnam in medio atrij à ferocibus ministris inter vesanos clamores alligatus fuisti.

Floridissime Domine mi Iesu, Ego N. vt

ſupra, &c. Quia ſpinoſis virgis, & incatenatis flagris à vertice capitis, vſq; ad plantas ſacratiſsimorum pedum tuorum, ſæuiſsimè propter me ſulcatus, dilaniatus atq; diſcerptus es.

Nobiliſsime Domine Redemptor mi, Ego N. vt ſupra, &c. Quia pretioſum valdè ſanguinem tuum velut aquam profundere permiſiſti.

Tenerrime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia in immenſis iſtis cruciatibus tuis, ex innocentiſsimo & amoroſiſsimo corde tuo, doloroſiſsima in cœlum ſuſpiria emiſiſti.

Sanctiſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia purpureum tuum ac diuinum cruorem, ſacrilegis ſuis pedibus nequiſsimi conculcarunt carnifices.

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De diuinis beneficijs.

CONſidera in primis altiſſimum prædeſtinationis beneficium, de quo licet non ſimus certi, dummodò tamen per arctam virtutis ſemitam magnanimiter & perſeueranter incedamus, optimè ſperare

rare poterimus, illud nos recepisse, quâ in re puncta sequentia inuoluentur. I. Eum, à quo prædestinati sumus, esse absq; fine & termino, in seipso felicissimum atq; ditissimum, nullius operâ egentem, qui tamen dignatus sit eligere hominem, Creaturam miserabilem, vilem, mortalem, plurimis hujus vitæ miserijs subjectam, & pœnis æternis obligatam. II. Nostræ prædestinationis finem esse, vt in Dei filios adoptaremur, cœlestisque regni cohæredes, ac perpetuæ gloriæ participes fieremus. III. Gratis nos electos esse, ex solo ac puro diuino beneplacito, sine vllis nostris meritis antecedentibus, & quidem priusquam nasceremur, imò ante mundi constitutionē: Animaduerte itaque ingentem hunc esse diuini in nos amoris effectum, in quem finem omnes quoq; expensas requisitas nobis prouiderit, nempè copiosissimam Filij vnigeniti in monte Caluariæ sanguinis effusionem.

Expende beneficium Creationis, vt scias, quid nam fueris antequam creareris, scilicet non nisi purum nihilum, quod nec seipsum creare, nec vt crearetur, mereri poterat, sed ecce, à summa illa Dei bonitate ex hoc nihili abysso erutus, & in lucem

cem prodjectus es, constitutusque non in esse lapidis, nec equi, aut alterius rei insensibilis vel bruti, sed hominis rationalis: Accepisti & corpus, cunctis membris ac sensibus perfectè organizatum, quorum quodlibet singulare beneficium debet æstimari, prout ex priuatione alicujus illorum id melius potest cognosci. Infusa quoque tibi est anima incredibilis excellentiæ, facta ad imaginem & similitudinem ipsiusmet Dei, capax visionis beatificæ, tribusq; potentijs præclarissimis exornata, Intellectu nimirum, ad cognoscendum benefactorem, Voluntate ad eum amandum, & Memoria, ad illius perpetuò reminiscendum: quod si igitur tantum debeamus parentibus carnalibus, quia nos genuerunt, quantum excrescet obligatio nostra in Deum, qui nobis simul animam & corpus integrè & perfectè contulit?

Adjunge beneficium Conseruationis, vt cognoscas quàm strictè dependeas à diuina bonitate, nisi enim singulis momentis ab illo conseruareris, haud dubiè ad illud nihilum subitò deuolucreris, de quo sumptus es, hinc tot numerantur specialia accepta beneficia, quod vitæ nostræ momenta decurrunt.

Circa

Circa beneficium verò diuinæ Prouidentiæ meminiſſe oportet, nos à Deo varijs ſuſtentari ac nutriri modis, ſiquidem vniuerſas hujus mundi creaturas hunc in finem occupauerit, quandoq; omnia creata nobis ad oblectationem & vtilitatem obſequantur, adeò vt etiam nobiliſſimi illi angelici ſpiritus in aſſiduum noſtrum miniſterium deputati ſunt: Nec tamen hîc diuinæ prouidentiæ curſus ſubſiſtit, ſed vlterius etiam nos liberat ab innumeris tùm corporis, tùm animæ periculis, quæ vel incurriſſe potuiſſemus, vel etiam nunc incurrere, vndè tot cenſeri debent beneficia, quot ſunt infortunia, è quibus benigniſſimè eripimur.

Expende excellentiſſimum beneficium Redemptionis, vt videas, qualiter ex culpâ noſtrâ perdiderimus primam innocentiæ gratiam, in quâ fueramus conditi, facti filij iræ, in quo ſtatu luctuoſiſſimo Deus nos potuiſſet juſtè derelinquere, ſicut deſeruit cadentem Luciferum, ſed noluit, imò ex infinita ſua bonitate ſtatuit nos liberare, non jam per Angelum, ſed in propria perſona, idcircò occultatâ ſuæ Majeſtatis gloriâ deſcendit in hunc mundum pauper & humilis, quo amplius ejus amoris

ris incomprehensibilitatem experiremur, cumque sufficiens liberationis nostræ pretium esset quæcunque suarum actionum, tamen vt nos copiosissimè redimeret, voluit perferre labores immensos, ac totum innocentem suum spargere sanguinem, offerens se spontè dirissimâ pro nobis morte excruciandum.

Nobilissimum est beneficium Vocationis, quâ non solum ad gratiam baptismalem, siue ad fidem vocati sumus, verùm etiam, quâ nos diuina bonitas ad gratiam & amicitiam suam, per peccatum deperditam misericorditer reduxit, ita vt jam filij Dei nominemur & simus, cujus beneficij magnitudo nullatenus valet exprimi: Nam quãto tempore in peccatorum cœno miserè immersos ad pœnitentiam expectauit, quot inspirationibus perferuidis, velut jaculis acutis in medio iniquitatum nostrarum animas nostras ad compunctionem exstimulauit, & quàm potenter & efficaciter præmortuos ad vitam gratiæ suæ cœlestis resuscitauit, ne subitò periremus.

Considera quoque beneficia Iustificationis & Satisfactionis, quæ mediante Pœnitentiæ Sacramento recipimus, nam per Iusti-

Iustificationis gratiam disrumpit Deus ferreas peccatorum catenas, quibus à diabolo vincimur, estque hoc donum ineffabile, quod vel indè dignoscitur, quia cum solius Dei sit peccata dimittere, dignatus est eandem potestatem hominibus concedere, vt medicinam spiritualium infirmitatum præ manibus haberent toties, quoties necessarium foret, & sic facilimè diuinæ Majestati, mediâ confessione ac contritione reconciliarentur. Per gratiam autem satisfactionis non tantùm sanantur peccatores à suis delictis, sed anima etiam curata jam pulcherrima ac speciosissima redditur, adeòque fortis, vt sola toti inferno præualeat, imò verò simul cũ hâc gratiâ, inseruntur in animam integri ordinatissimi virtutum exercitus, & omnia Spiritus sancti dona, fitque habitaculum & templum totius Sanctissimæ Trinitatis, æternæque gloriæ hæres.

Operæ pretium est, vt etiam duo alia beneficia excellentia euoluas, scilicet sanctissimæ Eucharistiæ & Glorificationis. I. quidem, vt noueris, quanto Deus cum amore voluerit in fastidiosa hac peregrinatione, sub velaminibus specierum sacramentalium panis & vini manere nobiscum:

biſcum: qualiter indies ſub auguſtiſſimæ Miſſæ ſacrificio nobis præſto ſit, vt corda noſtra inhabitet, vt ſua cœleſtia dona benè diſpoſitis liberaliſſimè infundat; quis igitur ad tam liberalem, humilem ac prædiuitem Dominum ægrè accederet? certè non niſi mente captus, & propriæ ſalutis oblitus. II. verò altiſſimum beneficium recipiemus, quando poſt diuturnæ peregrinationis noſtræ labores, requie potiemur æternâ; Eſt autem manifeſtum, adeò excellens eſſe hoc donum, vt nullis verbis ſufficienter poſſit explicari: Quare agnoſcentes debilitatem noſtram atq; indigentiam, humiliter ante pedes diuinæ Majeſtatis prouoluti, gratias ipſi ineffabiles referamus, pro tot infinitis beneficijs collatis, offerentes nos in ejus juſtiſſimum, perpetuumq; famulatum & obſequium.

I. Actus Interni.

SOlet Domine mi, Inſtrumentum à manu Artificis pro nutu dirigi, vt opus perfectum ſubſequatur: ſic mihi omninò pro religioſa acquirenda perfectione faciendum eſt, vt ſcilicet me deinceps velut inſtrumentum in manus Superiorum meorum integerrimè conſignem, vt de me

pro

pro nominis tui ſanctiſſimi honore, & ad animæ meæ ſalutem, liberrimè ſemper diſponant.

O obedientiſſime Fili Dei, quàm humiliter per Prophætam tuum locutus es, quando dixiſti: In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam! Quomodo ergò non ad tui imitationem, in omnibus meis viribus, tàm animæ quàm corporis, perpetim exaratum permaneat, vt ſanctiſsimam tuam voluntatem mihi per Superiores notificatam, quàm accuratiſsimè ſemper ſtudeam exequi?

Paratus ero poſthac Domine, & velut in editiſsima ſpecula collocatus, vigilantiſsimas excubias agam, vt & immediatè diuinis tuis inſpirationibus vniuerſis, & mediatè Superiorum mandatis, ob tui amorem fideliter correſpondeam.

O Dulciſsime Domine Ieſu, ſicubi Obedientia nuncupetur Anima religioſi, ſtolidiſsimus profectò cenſebor, ſi memetipſum (quod abſit) inobedientiæ mucrone interemero, ſciens me abſque ſanctæ obedientiæ cultu ſinceriſsimo viuere non poſſe, vt igitur ſecurè viuam, obedire Præpoſitis meis nunquam detrectabo.

Sapientiſsime Domine Ieſu Chriſte,

Ego N. vt ſupra, &c. In ſchola Obedientiæ videlicet ſacræ Religionis enutritus, quid aliud velle aut prætendere debeo, quàm accuratiſsimè illud, quod ibidem audiui & didici, in omni operis veritate exequi, atqui vt hujuſmodi deſiderium in me quãtocyus adimpleatur, Majeſtatem tuam ſuppliciter rogo.

Ecce me, Deus meus, quid vis vt faciam? Non mea obſecro impoſterum, ſed tua ſemper beneplacidiſsima voluntas fiat, illa cordis mei clauis eſt, quam tibi lubentiſsimè conſigno, vt in me ad nutum tuum ingrediaris; Sit ergò longiſsimè à me, vt illam tibi denuò ex manibus ſacrilegè extorquere intendam.

II. Actus Externi.

Actualiter & effectiuè omnia præcepta diuina, Regulam, Conſtitutiones, viuæ vocis mandata, & omnes alias obligationes monaſticas, velut ex formaliſsima obedientia reſpicere & vigilanter exequi. Superiorum dicta & facta coram alijs non reprehendere, neq; interius judicare, ſed ijs ſe in omnibus & per omnia conformare; ſuppoſito quod diuinæ offenſionis nullam includant maculam. Au-

dito

dito Superioris mandato, ſtatim diligenter, hilariter, integrè, velociter, perfectè, in omnibus tàm minimis quàm maximis, & perſeueranter obedire. Nil ſine obedientiæ conſenſu libero, non autem extorto, quaſi ex propria voluntate facere. Ad primum clauſtralis campanæ ictum ſine vlla vlteriori detentione accurrere, niſi expreſſa ſubſit licentia. Obedientiæ cœcæ aſſueſcere. Perſonam Superioris tanquam Chriſti Domini veraciter ſuſpicere, & verbis, factis ac geſtibus reuereri. Nunquam cum Superiore pertinaciter altercari, vel illi impudenter reſiſtere, præſertim coram alijs, euitandi ſcandali cauſâ. Superioris monita ſalubria, tanquam diuina excipere oracula.

Affectus igitur generalis ex vtraque Meditatione tàm Matutina quàm Veſpertina eruendus, erit: Perfectæ obedientiæ ſtudium: Cujus rationes Applicationis ſunt ſequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CHriſtus Dominus ac Redemptor noſter tanti Obedientiam fecit, vt non

solùm Patri suo cœlesti obedierit, verùm etiam ipsismet sæuerissimis suis tortorib⁹, vsque ad acerbissimam flagellationem, spontè se & humiliter amore mei subjecerit, quanto magis Ego Superiorum meorum jussis, illius causâ quàm perfectissimè obtemperare debeo?

Ratio ex Meditatione Vespertina.

QVod si vniuersa diuina beneficia in summo, prout par est, pretio habenda sint, quis dubitare poterit, sanctæ Obedientiæ virtutem maximi æstimandam esse, veluti præcipuum salutis obtinendæ medium? Quapropter toto conatu in hoc enitar, vt promptissimè semper Deo ac Superioribus meis, vicem ejus gerentibus, obediam.

Feria tertia.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus Castitatis.

SI juxta Euangelium mundo tantùm corde Deum visuri sint, væ tibi & iterum væ, qui oculos turpissimo sensualitatis visco illitos in omni vita, & omni in loco & tempore impudenter circumegisti,

ſti, ſiquidem oculus immundus, immundi cordis manifeſtiſſimum ſit inditium.

O quot annos, quot menſes, integras ſeptimanas & dies ac horas perdidiſſimè frequenter inſumpſiſti, vt ſenſualibus tuis affectionibus locum dares, & miſerrimis creaturis cor tuum venale in injuriam Creatoris exponeres, cui te totum debebas & obtuleras, quod ſanè abſque rubore cogitari non poteſt.

Dic mihi adeò coram te viluit poſt votum ſolemniter editum, angelica virtus Caſtitatis, vt nihil minus, quàm de puritatis internæ & externæ decore cuſtodiendo niterereris? quin etiam mentem tuam per continuam à Deo auerſionem & illicitas euagationes, dæmonibus in turpiſſimum proſtibulum relinqueres?

Heu quàm longè diuertiſti à conſortio & familiaritate Angelorum? computreſcens inſtar jumentorum in ſtercoribus vanarum & periculoſarum oblectationum tuarum, cupiens fruſtra ſatiare ventrem deſiderij tui de ſiliquis porcorum hujus immundiſſimæ vitæ mortalis.

Vtinam hanc ſcripturæ veritatem profundè inſculperes cordi tuo, nempè quod in hac lachrymarum valle oculus non ſa-

tiatur visu, nec auris auditu ; haud dubiè mox te ad veras & stabiles atque purissimas delitias inquirendas conuertereris, quæ nullibi præterquam in Deo summo bono reperiuntur.

Nunquid non te remordet conscientia tua, quod tot & tàm innumeros tuo audaci & impudenti aspectu, verbis procacib⁹, & moribus incompositis atque indecentibus, absque vllo Dei timore, vel in laqueum Diaboli tecum induxeris, vel ad minus extremè scienter ac aduertenter scandalizaueris, & sic te Deo, Angelis & hominibus odiosum reddideris.

Lilium modicè pressum, læsionem patitur, & tu in medio populi non tantùm oblatas occasiones perdendæ puritatis nō fugisti, sed frequenter etiam inquisisti, & nihilominus te castum insipiēter proclamare præsumis, cum hujus inæstimabilis thesauri murale & antemurale, post Dei gratiam, in vnica occasionum fugâ consistat.

Opto vt voti castitatis obligationem, quod coram Deo & Angelis ejus solemniter emisisti, paulò accuratiùs tecum euolueres, vt tui ipsius custodiam majorem adhibe-

hibere disceres, quippe thesaur⁹ incogni-tus nihil fieri consueuit.

Tandem resipisce, fenestras mortis æternæ, id est, sensualium appetituum tuorum inclinationes per veram tui ipsius mortificationem & abnegationem claude, & alis purissimarum eleuationum mentis Deo appropinqua, in illo solo delectare, illi vnire humiliter ac reuerenter, & castissimus dono illius eris.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De spinea Christi Coronatione.

IMpij carnifices benignissimum Saluatorem mundi flagellis atrociter cœsum, & sanguine vndiq; coopertum hiantibus vulneribus probrosè per atrium illud circumduxerunt, impellentes eum inhumaniter ad sacras suas vestes, contemptibiliter dispersas requirendas, quem miserandum in modum incedentem, animæ tuæ oculis compassionabiliter intueberis, doloribus plenum, præ frigore tremebundum, & suamet vestigia roseo suo cruore signantem: Adorabis itaq; illum in spiritu compunctionis, deprecando humiliter o-

omnium tuorum admissorum criminum veniam, qui pro ijs abolendis tàm terribilia tormenta est perpessus.

Vide qualiter ægrè præ inflictis vulneribus incedentem, cachinnis ac sibilis nefandis excipiant Iudæi, vtq; jam indutum per modum ludibrij huc illucq; improbè impingant, recrudescentibus omnium sacrorum membrorum ejus plagis, quam injuriam licet grauissimam, vultu tamen sereno, & amoroso corde, placidè perfert, ad exemplum seruorum suorum, qui post ipsum à suis persecutoribus in hoc mundo plurima erant toleraturi, ne fortè in superuenturis afflictionibus deficerent.

Prædictis pœnis Christo inferendis nōdum saturati Iudæi exulceratiores facti sunt, & coactâ cohorte Iesum mitissimum in prætorium furiosè retraxerunt, majori quàm hactenus contumeliâ afficiendum, nam manibus sacrilegis in ejus vulnera recentia intrusis, crudeliter & malitiosè ipsi vestes plagis sacris inhœrentes, ingenti cū violentia abstraxerunt, defluente vndique sanguine in terram vsq;, & veste purpurea circumdatum procaciter irriserunt.

Post hæc ministri diabolici aliud genus improperij antedictis horribilibus commen-

mentati ſunt, nempè coronam è ſpinis textam, loco regij diadematis, diuino illius vertici imprimentes, dato in manus ſceptro arundineo, & cum riſu effutientes: Aue Rex Iudæorum, &c. Quis nunc dicendo conſequi poſſit, quàm feroci delicatiſſimus Dominus in hoc ſpineæ coronæ ſupplicio ſit affectus dolore? quæ vt aliqui affirmant, fabricata fuerat in pilei formam, vt totum illius ſacroſanctum caput accuratius conſtringeret, ea truculentia, vt teſte D. Bernardo, ipſimet aculei, neruos quoq; & oſſa capitis diffinderent, adeò vt cruor cerebro ſacroſancto mixtus, per faciem, collum, aurem, os, & in ſinum totum inſtar aquæ deſcenderet, cœlo & Angelis inſpectantibus, & tantum ſcelus improbiſſimorum peccatorum exhorrentibus.

Fuit tàm extremum Iudæorum odium contra Chriſtum Dominum, vt elegantiſſimam illius faciem non ſolum omni decore deſtituerint, ſputis fœtidiſſimis obruerint, & ſanguine purpurauerint, verùm etiam præ furoris inſania frementes è terra exilierint, raptâq; ex diuinis manibus arundine, violentus ictus in ſpino-

ſum caput multiplicarint, an cœleſtes illos oculos tàm ſordidiſſimo panno texerint, & pro majori ludibrio, impactis creberrimis in teneras maxillas colaphis duriſſimis, patientiſſimum Saluatorem ſæpiꝰ vociferantes impudenter ſint allocuti, dicentes: Prophætiza nobis Chriſte, quis te percuſſit? Quas omnes horrendas injurias, amaritudines, deſpectus & dolores IESVS Patri ſuo cœleſti in ara cordis ſui, pro noſtra copioſiſſima Redemptione obtulit, ne in æternum periremus.

Hujus diei diuina præſentia conſtituetur: Chriſtus Dominus ſpinis coronatus: Et pro memoriali ſequentibus actibus ſtabilietur.

MItiſſime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia in ipſo tuo pretioſiſſimo cruore, peracta flagellatione, ab improbis lictoribus volutatꝰ fuiſti.

Amantiſſime Redemptor mi, Ego N. vt ſupra, &c. Quia pro mea ſalute ex lacerato corpore, viribus ita fractus fuiſti, vt præ debilitate nimia vix incedere præualeres.

Innocentiſſime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia cum poſt reueſtitionem

nem tuam, veſtimenta tua vulneribus hiantibus ex ſanguine coagulato tenaciſſimè inhœrerent, malitioſiſſimè ac violentiſſimè iterum ijs exutus es, recrudeſcentibus vndique doloribus tuis, cum recenti ſanguinis effuſione.

O ſuauiſſime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia ferociſſimâ ſpineâ coronâ acutiſſimis ſentibus armatâ delicati capitis tui tempora ab impijs militibus ſine vlla compaſſione transfixa fuerunt, manante vndiq; cruore per frontem, in oculos, aures, & in ipſum quoq; os, & pectus ſanctiſſimum.

Clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia amore mei pallio coccineo, & antiquâ purpurâ ridiculè circumdatus fuiſti.

Specioſiſsime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia oculi tui cœleſtes inter horrenda ludibria panno fœdiſsimo obtecti fuerunt.

Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia tibi tenerrimas tuas maxillas fuſtibus ſæuiſſimè contundi permiſiſti, vociferantibus carnificibus cum immani blaſphemia: Prophætiza nobis Chriſte, quis te percuſſit?

Medi-

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De officiis Dei versum nos.

HOmines plurimis ex titulis Deo Opt: Max: valdè obligati sunt: Inprimis quoad Rex est vniuersi totius: non enim in cœlo solùm regnat gloriosè, verùm & in terra, constituens & deponens pro arbitrio suo omnes alios Reges: Ipse omniū Electorum animas gubernat, dirigēs illas tàm in aduersis, quàm etiam in prosperis suauissimè ad cœlestem beatitudinē, quas & sollicitè in omnibus & vbique tuetur, & ad bonorum operum executionem exstimulat, reddens diuinæ suæ voluntati integrè subjectas, & finaliter, præuio suo exemplo per viam Crucis ad æternam fœlicitatem exhortans. Si igitur Reges terreni amantur ob paucula quædam & exigua subditis impensa beneficia, absque dubio multo amplius diligendus erit Rex Regum Deus, à quo, quicquid habemus & possidemus, tàm animâ, quàm corpore, recepimus.

Obligamur Deo non solum sub nomine Regis, sed etiam Patris, Fratris & Sponsi; nam in quantum Pater, filij ipsius sum⁹ adopti-

adoptiui, & cohæredes regni cœlestis, prospiciens nobis abundantius sine vlla comparatione, quàm vnquam parentes carnales præstare possent: imò & frater noster esse dignatus est, quamuis enim juxta diuinitatem suam sit parens, Rex & Deus noster, secundum tamen humanitatem est quoque dilectissimus noster Frater: Neque verò hic subsistit infinitus ejus erga nos amor, sed vlterius etiam sponsus animarum effectus est, vestiens eas sua diuinâ gratiâ, & desponsans sibi in Fide, Spe & Charitate, vt hac ratione omnium ejus bonorum, mensæ, thalami, cœlestisq; regni participes efficeremur.

Quod si justum sit non amare solùm Reges, Patres, fratres, sponsos, sed etiam Dominos, patet etiam hoc nomine Deum oportere plurimum amari, cum sit naturalis & legitimus Dominus noster, qui nos seruos suos proprio comparauit sanguine, vndè eruitur, quod illi justissimè seruire teneamur. Quamuis autem non habeat vllam obsequiorum nostrorum necessitatem, nihilominus loco maximi fauoris esse debet, cum dignatur quippiam præcipere, cum præsertim vniuersa ejus imperia infinitâ mansuetudine ac dulcedine

dine condita ſint, ſuos enim ſeruos benignè ſolatur, defatigatos confortat, oneratos ſubleuat, defectuoſos piè corripit, & in alterâ vitâ obſeruatam fidelitatem copioſâ mercede remunerat.

Colendus eſt etiam Deus velut amicus cordialiſſimus, à quo ſingulis momentis infinita bona recipimus, ſemper nos abſq; interruptione vehementer diligens, tàm in aduerſis, quàm in proſperis euentibus, neque ab amicitiâ inchoatâ læſus, ſtatim recedit, verùm patientiſſimè omnem acceptam injuriam perfert, & facilè ignoſcit verè pœnitentibus.

Conſiderandus quoque Deus velut Magiſter ſapientiſſimus, ſciens omnia, & plenè electos ſuos inſtruens circa viam ſalutis æternæ, illuminans Intellectum, & Voluntatem ad omne bonum amplectẽdum inclinans. Eſt Medicus animarum noſtrarum ſcientiſſimus, cognoſcens perfectè vniuerſas earum infirmitates, adeoque potens, vt vnico verbo integram illis ſanitatem conferat.

Eſt bonus ac ſollicitus animarum paſtor, oues errantes ad ouile adducens, dociles confirmans, famelicas propria ſua carne cibans & ſanguine potans, & in omni-

omnibus ad paſcua ſana ac fœcunda dirigens. Eſt denique vigilantiſsimus noſter Cuſtos, diuque noctuq; vigilans, omnium inimicorum noſtrorum laqueos diſrumpens, & inſidias diſsipans, & modum quo euitandæ ſint, edocens, quis igitur non ſe reputabit fœliciſsimum, expendens ſub qua cuſtodia, & ſub cujus patrocinio ſit conſtitutus,

I. Actus Interni.

O Ieſu Sponſe caſtrarum animarum delitioſiſſime, qui inter candentia jugiter paſceris lilia, corda ſcilicet puritatis albedine nitentia, ſiquidem in ejuſmodi myſticis viridarijs libenter immoreris, te ſuppliciter deprecor, cor meum miſerum & inquinatum ſic ab omni fæce libidinis expurgare digneris, vt impoſterum gratiſſimum tuum viridarium fieri mereatur, in quo vnicè delecteris.

O pulcherrime Fili Dei, certè immortalitatis & innocentiæ tuæ fragrantia excellentiſſima, efficaciter me inuitat, vt repudiato omnis carnalis concupiſcentiæ fœtore, tibi Sponſo Virginum, caſtiſsimi amoris amplexibus vniri vehementer deſiderem.

Hor-

Horreo ſanè, & plus quàm indicibiliter abominor omnia peccata deteſtabilis luxuriæ, quâ animæ ad Dei viuentis imaginem conditæ, in brutalia, ſeu potius infernalia tranſeunt monſtra, idcircò operam dabo, vt quàm caſtiſsimè viuam.

Florem caſtitatis, tibi DEO meo à me promiſſum, non ſolum temerario pede ſenſualitatis nunquam calcabo, ſed inſuper etiam, te donante, in vertice capitis mei, quàm honorificentiſsimè ſemper circumferam, cujus ſuaui odore recreer, & proximos meos ad ejuſdem amorem permoueam.

Fac pijſsime Deus, vt inter Angelorum cœtus ex infinita tua miſericordia quandoq; victurus, ex hoc momento immaculatam & Angelicam vitam ducere incipiam, citius quippè emoriar, quàm vt in cōtemptum honeſtatis ſacrilegè polluar.

Quandòquidem pie Ieſu, glorioſiſsimæ Virginis ſeruulos, pallio mundiſsimæ caſtitatis circumamictos eſſe deceat, optimè concluditur, religioſam mentem, in cœleſtis hujus Imperatricis obſequium & conſortium aſſertam, eâdem omninò veſte vti oportere, ne fortè ab ipſa velut degener ex opprobrio ſenſualitatis repellatur, & à San-

à Sanctis omnibus ob id in die Iudicij extremi explodatur.

II. Actus Externi.

Mulierum aſpectus quàm cautiſsimè declinare, neq; eouſq;, ſi occaſio inciderit, contemplari; vt ſpecies turpis menti poſtea valeat imprimi. Colloquia fœminarum, etiam pietatis cauſa, prolixiora fugere (exceptâ præciſa confeſsione, & neceſſariâ conſolatione) & tunc quantùm opus fuerit tantùm. A verbis ſcurrilibus, facetijs inſulſis ſemper abſtinere. Narratiunculis laſciuis aures obſtruere, neq; ejuſmodi legere velle.

Tactum etiam leuiſsimum, minus pudicum, tàm in ſe quàm in alijs vigilanter coercere. Imaginationem figurarum carnalium, ſtatim ab initio à ſe generosè diuertere. Nullius leuitatis aut lubricitatis etiam modicæ, ne quidem per modum joci velle meminiſſe. Affectionibus perſonarum quarumcunq;, præſertim diuerſi ſexus, ex zelo puritatis validè reſiſtere. Nullius amicitiam ſenſualem ambire, ſed potius odiſſe. Non nimium triſtari ob abſentiam amici carnalis. Vultum à picturis vel rebus obſcœnis, & quicquid hujuſmodi

est, consultò auertere. Conuersationes & loca suspecta, & praua colloquia sollicitè euitare. Blandimenta carnis quæcunq; à se studiosè reijcere, & actuali semper aliquâ corporis asperitate vexari.

Affectus igitur generalis tàm ex Matutina, quàm Vespertina Meditatione eruendus, erit: Castitatis Amor: Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CHristi ferocissima corona spinea, quâ ejus tenerrimum caput excruciatum fuit, jure merito in me omnem quemcunque etiam leuissimum sensualitatis affectum compescere debet, vt potius mori velim, quàm in ejus despectum, vllâ libidine commaculari.

Ratio ex Meditatione Vespertina.

INter alia officia Christi Redemptoris, quibus benignè versum nos vsus est, fuit, quod Magister noster extiterit, erudiens ad æternam salutem consequendam, atque inter ejus monita principalia nobis tra-

tradita, numeratur Castitatis vigilanter custodiendæ doctrina, quam omninò v[illegible] fidelis discipulus & apprehendere, & in praxin emittere ipso donante constitui.

Feria quarta.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus voti Paupertatis.

PAupertatis Euangelicæ thesaurus pretiosus quidem est, sed à te nondum cognitus, nec innentus, imò & vilipensus, quamuis grauissimâ obligatione tenearis (vt ipse nosti) lucrum animæ tuæ in eo promouendi, quod crassissimæ accidiæ & culpabili ignorantiæ tuæ imputãdum est, qui pretium ditissimæ paupertatis voluntariæ huc vsque pernoscere neglexisti.

Dic mihi an non in vniuersis tuis actionibus semper proprietarius extiteris, minimis etiam reculis tanto affectu adhærendo, vt nonnunquam præ interna confusione, & inquietudine te ipsum capere nequiueris, timens ne vel auferrentur, vel mutarentur, vel quomodolibet ijs priuareris, & quàm stolida fuerit istiusmodi vana sollicitudo, facilè conijcere potuisti,

cum ex habitis nullam prorſus comple-
tàm ſatisfactionem vnquam inueneris.

Quoties ſępè murmuraſti, nunc de hoc, nunc de illo, tàm ſanus quàm infirmus, quaſi verò minus tibi fieret vel applicaretur, quàm tuus inordinatus appetitus tibi ſuggerebat, & quaſi ad voluntariam paupertatem colendam nunquã adſtringereris, quæ quanta & qualis ſit deceptio, tecum quæſo paulò accuratius expende.

Si rerum tibi ab obedientia ſancta pro tuo vſu neceſſario creditarum meminiſſe velis, animaduertes profectò, te non tàm pauperem, quàm verum Dominum egiſſe rerum illarum, & amplius frequenter vſurpaſſe, quàm mens & intentio ſuperiorum decernebat, & plerunque in modo exceſſiſſe, quem in finem diſcutias velim loca, in quibus moratus es, itinera varia quæ tranſijſti, & negotia ſiue officia, quibus functus es, &c. Et cum rubore tui grauiter in plurimis te deliquiſſe fateberis.

O quàm ſuperbus, quàm pretioſus, quàm ſimulatorius, quàm irreſignatus & impatiens, quàm perfidus & ſcandaloſus pauper fuiſti ſemper, ita vt nomen pauperis in rei veritate nunquam ſis promeritus,

ritus, qui per fas & nefas tuis solis commoditatibus in contumeliam Christi in cruce nudè pendentis semper & vbiq; intendisti.

Faxit Deus, vt vel vnicum saltem actum veræ ac nudæ paupertatis, juxta promissum tuum in omni vita tua religiosa exercueris, qui te coram Iudice futuro in reddenda ratione strictissima aliqualiter subleuare possit.

Charissime, verè pauper non est, qui indiuiduos paupertatis comites non veneratur, & toto cordis affectu non circũplectitur, nimirum, egentiam necessariorum, famem, sitim, frigus, æstum, contemptus, dolores, derelictiones internas & externas, & afflictiones omnimodas, per quæ omnia pauper euangelicus Christiformis redditur.

Effectu pauper & non affectu, materialiter tantùm pauper est, absq; vllo merito & formalitate sanctæ Paupertatis, cui soli regnum cœlorum à Christo promittitur.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De mysterio, Ecce Homo.

NOn erant Iudæi peruersissimi hostes Christi saturati, priuatis eum supplicijs excarnificare, & opprobrijs turpiter illudere, sed vt malignitatem suam omnibus propalarent, ipsum forâs omni populo spectandum & blasphemandum produxerunt, antesignano iniquissimo Pilato, qui ferocienti turbæ contendens placere, ait: Ecce adduco eum forâs: Tu similiter benignissimumRedemptorem tuum, ante mentis oculos contemplandum statue, ingenti cum compassione & amoris affectu, vbi animaduertes, quàm miserabiliter illic Dominus rerum omnium inter vilissimos lurcones steterit, tectus veste contemptibili & irrisoriâ, pungentibus spinis perfossus, sceptro arundineo manibus ligatis ingesto, cruore recenti fluens, vulneribus innumeris totus concisus, verberibus attritus, squalido ac lurido corpore, nudus, silens, modestissimus, pudibundus, præ frigore tremens, & interius exteriusq; summè dolorosus. Respice quoque

que amabilem illius vultum, in quem desiderant Angeli prospicere, miserandum in modum plagis tumidum, sputis defœdatum, vnguibus discerptum, sanguine, mixto cerebro, perfusum, & adeò inhumaniter quassatum, vt speciem propriam perdiderit, hoc in aspectu mœstissimo cõmotus vehementer, & compassionis telo saucius, ad ejusdẽ sanctissimos pedes prouoluêris, veniam tuorum peccatorum deprecans, quæ tàm immensæ afflictionis Christi ansam dederint.

Pilatus, dum Christum populo furibundo exhiberet, exclamabat: Ecce Homo: Subindicans his verbis, eum taliter esse trucidatum causa ipsorum, vt præ dolorũ ejus acerbitate ac magnitudine, jure merito omnem inuidiam deponere, & nihil vlterius desiderare aut petere debeant, quandoquidem vix jam hominis speciem præ se ferret, & ideò mitigarentur: Veruntamen contrarium planè accidit, hoc enim tristissimo aspectu Christi laniati non solum mitiores facti non sunt, sed & crudeliores, adeò vt sacrilegas linguas laxarent, & insani mortem Saluatoris impudenter expeterent, vlulantes: Tolle, tolle eum, Crucifige, crucifige eum, &c. quorum

rum inconditis clamoribus Præses iniquꝰ conuictus, tandem in crudelem ipsorum, & injustissimam petitionem consensit, & impijssime Iesum innocentissimum necãdum esse publicè pronunciauit, excusans se coram omnibus ludicrà manuum suarum lotione, dicensq;: Innocens ego sum à sanguine Iusti hujus, vos videritis:cui illi subintulerunt, Sanguis ejus super nos, & super filios nostros: minitantes Pilato, nisi ocyus rem expediret.

Intuere obsecro dolorosum Christi cor, tot acutissimis lanceis tansfixũ, quot improbissimis Iudæorum odijs conscissum: Expende pariter solemne illud Pilati effatum, ECCE HOMO: Erat enim benignissimus Iesus ille homo, ad quem totius perditi mundi redemptio spectabat, qui pro nobis omnibus debebat immolari: Ille erat homo, in quo solo sibi benè complacuit Pater cœlestis: Ille erat homo, qui humanam naturam corruptam reformaret, & tot millium peccatorum ponderibus depressam in Deitatem efferret: Ille erat Homo, qui solus Angelorum ruinas restauraret, & qui nos inferni carceribus, ob primam parentum nostrorum preuaricationem justè deputatos, misericorditer in

para-

paradysi suauissimam látitudinem transferret, cœlumquè tot annorum millibus occlusum suâ potestate reseraret, vt saluari possemus.

Hujus diei diuina præsentia erit: Ecce Homo: Et pro memoriali sequentibus actibus stabilietur.

CLementissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia propter meam salutem publicè ab iniquo & injuriosissimo Iudice Pilato, totus vndiq; ferociter laniatus & discerptus populo Iudæorum præsentari voluisti.

Pijssime Domine Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. propter mysteriosissima illa verba: Ecce Homo: respondentibus mox ingratissimis Iudæis: Tolle, Tolle, crucifige eum.

Amantissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia coram omnibus ligatis manibus coronam spineam in capite ferens, totus tremebundus præ frigore, omnium ludibrijs & improperijs expositus, ibidem salutis meæ causa stetisti.

Dulcissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia ex perforatis vulneribus totius pretiosi corporis tui pro me

peccatore vilissimo vberrimum sanguinem profudisti.

Nobilissime Domine Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. propter quinq; millia hiantium vulnerum tuorum cum extremis & indicibilibus doloribus tuis.

O benignissime Saluator mundi, Ego N. vt supra, &c. Quia opprobrijs, conuitijs & injurijs saturatus pro redemptione nostra, te ipsum immenso cum amore Patri tuo cœlesti sacrificasti.

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De Perfectionibus sanctissimæ Humanitatis Christi.

FVit Christi Domini nostri humanitas sanctissima, ex immaculatissima Virgine desumpta, pulcherrima. & supra omnia humana corpora perfectissima in qualitate, proportione, harmonia, constantia, claritate coloris, suauitate oculorum, modestiâ, & gratiâ actionum, in incessu & adspectu amabilissimus, ita vt vniuersorũ corda ad se efficacissimè raperet: Veruntamen parua hæc, si ad absolutissimas a-

nimæ

ſſimæ ejus perfectionis referantur, quæ ſuam ſublimiſſimam dignitatem ac nobilitatem à diuina trahit eſſentia, cui per vnionem hypoſtaticam ſtrictiſſimè vnita fuit, atque adeò omnem hominum & Angelorum excellentiam infinities ſuperauerit.

Fuit hæc Chriſti humanitas à Deo ardentiſſimè ſemper adamata, quippè amplius multò eam dilexit, quàm omnes omninò totius mundi creaturas, cujus iſta poterit ratio aſſignari: Si enim Dei dona ſigna ſint amoris, quo fuerint majora, eo etiam amor cenſebitur excellentior, quare cum Deus conceſſerit Sanctiſſimæ humanitati Chriſti dona infinities majora, quàm omnibus Angelis & hominibus ſimul, ſequitur, abſque vlla proportione, diuinum amorem in illam intenſiſſimum & ſupereminentiſſimum.

Conſiderandus etiam eſt Chriſtus juxta ſuam humanitatem velut Rex Regum generaliſſimus, & conſequenter totius mundi Dominus, habens in terra milites ſuos pugnantes: Suos electos in cœlo triumphantes: Suæque infinitæ juſtitiæ miniſtros in inferno torquentes: cui etiam Pater cœleſtis in manus tradidit omnes

the-

thesauros & diuitias coeli & terræ, quarum comparatione omnes mundi opes nullæ sunt.

Potentissimus est Christus, & ad nutum suæ sanctissimæ voluntatis, tot potest in cœlo & in terra, & in omnibus creaturis edere miracula, quotquot ipsi placeret. Est & Sapientissimus, cujus Sapientia confestim ab instanti suæ incarnationis fuit tàm immensa, tàmque inscrutabilis, sicuti modo est, nam ab illo momento cognouit, viditque cuncta in Deo, quæ fecerat & facturus erat, & omnes cogitationes simul vniuersorum hominum & Angelorum, bonorum ac malorum, quas vnquam habuerunt à principio mundi, & habituri fuerant per omnem æternitatē, dignoscebatque clarissimè, distinctissimè ac perfectissimè omnes proprietates creaturarum, & numerum singulorum, tàm hujus sæculi præsentis, quàm futuri.

Benedicta & gloriosa ipsius Anima, extitit quasi infinita in genere gratiæ, id est, omnis gratiæ possibilis ordinatæ per infinitam Dei potentiam & sapientiam, adeò vt non solum ex se ipsa, sed prout communicata ipsa fuit, tanquam capiti omnium hominum præsentis mundi, & alio-

aliorum infinitorum mundorum, si essent, & omnium Angelorum extiterit eminentissima, juxta quam mensuram etiam charitas siue amor ejus in Deum ac homines fuit excessiuus, sicut & omnes aliæ ejus virtutes, acquisitæ & infusæ, & omnia dona Spiritus Sancti, nec non lumen gloriæ, quo sine intermissione gaudebat, quæ huc referri debent: Hinc colligitur, ipsam solam habuisse in eminentissima perfectione, omnem gratiam, charitatem ac gloriam, aliasque virtutes, quas vnquam habuerint, habent, & habituri sint vniuersi homines & Angeli beati à principio suæ creationis, absque vlla comparatione, vsque in æternum.

I. Actus Interni.

O Felicissima hæreditas animæ meæ, Domine mi Iesu Christe, quid nunc aliud velle aut desiderare potero, quàm te summum, vnicum, solum & inexhaustum bonum meum, in quo vniuersi thesauri æternitatis plenissimè reconduntur, fac ergò vt repudiatis bonis transitorijs, te securissimè possideam.

Abundè diues est, Domine mi Iesu, qui vnà tecum in cruce pauper est, non enim men-

mentem capacem Dei, opes terrenæ implere poſſunt, quæ cor inſtar venti inaniter turgere faciunt, attamen paulò poſt euaneſcunt, ſuos poſſeſſores miſerabiliter illudendo, quocirca & Ego eas nihili, prout merentur, faciam.

Abſit longè à me, ô Deus meus, vt venerandam Euangelicam paupertatem, quam mihi jam pridem in Sponſam elegi, adeò viliter æſtimem, vt ejus me pudeat, quam & tu, qui ſolus legitimum pretium rerum omnium tàm in cœlo, quàm in terra ſtatuere nouiſti, omnibus mundi Regnis & Sceptris prætuliſti, quapropter à latere meo nunquam recedet, cum ei conuiuere nihil mihi glorioſius eſſe duxerim.

Conſtat, celſiſſime Deus, exiguam plumulam, etiam modico aquæ ſtillicidio humectatam, ſurſum ferri non poſſe, quãto minus anima terrenis pulueribꝰ aſperſa, ad cœleſtium contemplationem attolletur, quæ conſideratio ſanè inter cœteras me conuincit, vt voluntariè pauper eſſe velim.

Sanctiſſime Domine, quamuis plurimos mundorum milliones cum vniuerſis eorũ commoditatibus poſſiderem, tui tamen causâ & amore citius omni momento à

me

me omnes ſimul exturbarem, & me in ſpontaneam detruderem paupertatem, ſolùm vt tibi in cruce pro me denudato, conformis fierem.

Faxit Deus meus, vt omnes meæ actiones, omnes ſenſus, & omnia membra mea, poſthac illuſtriſſimum ſemper religioſæ paupertatis vexillum præſeferant, cujus intuitu vniuerſi ad eandem amanter quoque amplectendam perſuadeantur, exindè quippè me omnium hominum fortunatiſſimum prædicarem.

II. Actus Externi.

NVllis reculis hujus mundi, etiam pietatis prætextu maximè affici. Quæ præcisè neceſſaria non ſunt, à ſe quantocius remouere, ſicut omnia in vſum conceſſa. Paratum eſſe, omnibus etiam neceſſarijs, Dei amore carere. Frequenter ſua diſcutere, an aliquid ſupflui ibi latitet, & ſi quid deprehenderit, mox auferre. Vilia ſemper appetere, quoad veſtitum, eſum, &c. more pauperum. De nullo rerum defectu vnquam conqueri. Pretioſiora quælibet abhorrere. Quæ ad vſum conceduntur, diligenter cuſtodire, ne deſtruantur aut pereant. Ex officinis communibus nil ſine

ſine expreſſa capere licentia, nequidem aciculam aut filum. Nulli quicquam donare, vel aufferre, neque etiam accipere munuſcula abſq; ſcitu & conſenſu Superioris. Deſiderare ſemper cum nudo Chriſto nudum in Cruce viuere: Paupertatem religioſam in omnibus actionibus vigilantiſſimè zelare.

Affectus igitur generalis ex vtraque Meditatione tàm Matutina, quàm Veſpertina eruendus, erit: Voluntariæ Paupertatis exercitium: Cujus rationes Applicationis ſunt ſequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CHriſtus Dominus noſter, non tantùm veſtibus ſuis, ſed & pelle, carne & ſanguine, causâ ſalutis noſtræ ſpoliatus fuit, vt paupertatis firmaret præconium, quid ni Ego quoq; amore illius, promiſſam Euangelicam paupertatem quàm accuratiſſimè cuſtodire paratus ſim?

Ratio ex Meditatione Veſpertina.

CErtè tàm inæſtimabilia ſunt Chriſti Domini non ſolum diuinitatis, ſed etiam

etiam sacratissimæ ejusdem humanitatis bona, quorum me participem, licet immeritum, reddere decreuit, vt rectissimè illo solo contentus esse debeam, vniuersis alijs ludicris hujus vitæ ac fallacibus bonis contemptis.

Feria quinta.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus Humilitatis, tàm internæ, quàm externæ.

CVm arrogantem tuum animum expendo, nouum quendam Luciferum è cœlo in infernum mox casurum intueri videor, eo velocius ac turpius, quo insupportabilem elationem tuam singulis propè momentis amplius augeri perspicio: Inprimis de interna tua superbia quid aliud commemorem, quàm quod jam impudenter solium fictæ tuæ bonitatis supra nubes cœli erexeris, & tibi ipsi stolidè ac vanè complacendo in cogitationibus tuis, etiam virorum Sanctorum operibus heroicis te similem esse glorieris.

Nec dum prima limina alicujus modicæ virtutis attigisti, & tàm præsumptuo-

sè, licet mendaciter, quaſi de acquiſito alicujus perfectionis gradu, te in omni ſermone tuo fruſtrà jactitas, quod facilè crederem, ſi perfectio ætate & annorum excurſibus, & materiali religioſitatis profeſſione, non autem ſuimet abnegatione & mortificatione continuâ, jugique virtutum exercitio, menſuranda eſſet.

Dic mihi obſecro, an vllum opus bonum huc vſque purè propter Deum executus ſis, in quo nō tuam propriam commoditatem & vanam æſtimationem aliorum de te aucupatus ſis potius, quàm Dei vnius gloriam, & ſanctiſſimæ ejus voluntatis complementum?

Timendum ſanè, ne in hora mortis tuæ omnium ſpiritualium exercitiorum tuorum mercedem jam recepiſſe te audire, cum dolore & pudore cogaris, nam quod propter Deum non fit, illius neque retributio requiri aut exigi jure poteſt, caue igitur, ne tunc fortè ex eorum numero comproberis, de quibus Spiritus Sanctus ait: Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis.

Quoties aliorum facta tibi vendicaſti, vt laudes illis debitas vel obſcurares, vel dimi-

diminueres, vel temerè interpretareris: Et quàm ægrè ſæpè tuliſti, quod alij vel in minimo etiam, & multoties ex juſtitia tibi anteponerentur?

Omnia tua deſideria, omnia verba, omnia opera tua nõ niſi viuum ſuperbiæ ſpeculum extiterunt, quare mirum non eſt, quod hactenus omnibus vitiorum generibus obrutus fueris, ſiquidem Deus ſuperbis reſiſtat, humilibus autem det gratiam & benedictionem.

Duræ tuæ reſponſiones, audacia alloquia, repugnantiæ notabiles, excuſationes faciles, irriſiones aliorum leues, impatientiæ ſcandaloſæ, fuga reprehenſionum, inobedientiæ frequentes, & ſimilia plurima, quid aliud fuerunt, quàm venenoſa genimina peruerſiſſimæ viperæ ſuperbiæ? à quibus morſus & ſauciatus vſq; ad ſpiritualem animæ mortem infœliciter ſemper decubuiſti.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De Crucis Christi bajulatione.

FVit Chriſtus Dominus cũ exultatione Scribarum & Phariſæorum, ad funeſtiſ-

ſimam mortem Crucis ſubeundam condemnatus, ad quam citius inferēdam, maximo cum impetu & feſtinatione indutus propriâ veſte ſuâ rapiebatur, timebant enim latrones illi ſæuiſſimi, ac peſſimi nebulones, ne ſi tantillum fortè morarentur, Pilatus aliundè perſuaſus, aut pœnitentiâ inductus, latam ſententiam reuocaret, proindè aliud quidpiam præſtare non poterant, ne comedere quidem aut bibere, quouſque Ieſum non viderent è medio ſublatum.

Impoſitum eſt humeris Domini laceris, horribile lignum 15. pedum longitudinis causâ majoris opprobrij ejus, & ne vllus ipſi auderet appropinquare, medius inter duos infames homicidas ducebatur, ſed multo ignominioſius, illis quippè liberè incedentibus, Saluator noſter propriam crucem ferre cogebatur.

Eo tempore celebrabatur ſolemnitas agni Paſchalis Hieroſolymis, quâ de causâ ingens populi multitudo illuc confluxerat, qui ſparſo rumore Crucifixionis Chriſti, illum certatim videre cupiebant, effuſi itaque in plateas, per quas ducendus erat, intuebantur incedentem acutis ſpinis perfoſſum, ſanguine fluentem, ingemiſ-

miſcentem, lachrymis rigatum, ſub graui crucis pondere inclinatū, omnibus membris dilaniatum, trementem, conſputum, doloroſum, & nutanti greſſu præ extrema debilitate ambulantem, horrēdis quidem cōtumelijs affectum, ſed ad omnes illatas injurias modeſtiſſimè ac mitiſſimè ſe habentem, ſignantemque plateas ipſas, per quas trahebatur, roſeo ſuo cruore, cui omnes Iudæi in immenſis iſtis cruciatibus, inuido ac ſuperbo corde, abſq; vlla compaſſione peſſimè ſemper inſultabant.

Augebatur interea Saluatoris afflictio ex diriſſima confricatione alterius rami crucis ſibi impoſitæ, qui in altum vergens, pungentibus aculeis ſpineæ coronæ crebrò apprimebatur, vndè ſacratiſſima tēpora illius vltra modum torquebantur, neque ipſe ſibi poterat vllas ferre ſuppetias, cum tot ferreis catenis & groſſis funibus adſtringeretur, vt vix liberam incedendi copiam haberet, depreſſus in terram vſque, non tàm pondere ignominioſæ Crucis, quàm totius mundi improbiſſimis ſceleribus, pugnis, calcibus, & multiplicibus verberibus propellebatur Ieſus Innocentiſſimus, vt ſæpius in terram laberetur, quem carnifices, apprehenſis ſan-

ctissimis ejus capillis inhumaniter attollebant, rugientes & vlulantes in eum velut leones ac lupi rapacissimi. Sequebantur Christum piæ aliquot fœminæ, deflentes ipsius passionem acerbissimam, quibus ipse: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vosmet ipsas flete, & super filios vestros: subindicans, immanitatem quidem suæ passionis, ex vniuersorum cordibus haud difficulter potuisse lachrymas elicere, tamen quia eam sponte suâ, tùm pro gloria Patris sui cœlestis, tùm pro salute omnium suscepisset, idcirco non esse deflendam, sed potius, quia homines ipsā peccatis suis grauissimis commeruissent, quorum delicta meritò deplorāda essent.

Hujus diei præsentia diuina statuetur: Christus Crucem bajulans: Et pro memoriali sequentibus actibus stabilietur.

DVlcissime Redemptor mi, Ego N. vt supra, &c. Quia pro totius mundi salute injuriosissimo Crucis supplicio tanquam infamis latro adjudicatus fuisti.

Dilectissime Iesu mi, Ego N. vt supra, &c. Quia per publicas plateas Hierusalem cum horrendis improperijs absque

vlla

vlla compaſsione, funibus & catenis illigatus, protractus fuiſti.

Nobiliſſime Domine Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia laceratiſsimis tuis humeris longum & ponderoſiſsimum crucis lignum bajulandum, à crudelibus tuis inimicis imponi permiſiſti.

Amantiſſime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia in eductione ad montem Caluariæ, ex manante ac defluente pretioſiſsimo tuo cruore omnia tua veſtigia vbiq; ſignaſti.

Innocentiſsime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia inter eundum ex nimia acceleratione carnificum, vnà cum cruce frequenter humi prolapſus, grauiter tenerrima tua genua offendiſti.

Suauiſſime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia immenſis doloribus affectus es, dum mœſtiſſimæ ac deſolatiſſimæ Virgini Matri tuæ in hoc acerbo Crucis itinere occurriſti, plurimùm propter te vnicum ſuum dilectiſſimum Filium ploranti ac gementi.

Sanctiſſime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia per crepidinem & accliuitatem montis Caluariæ, totus fractus

viribus & nimium delaſſatus, gemens & ſuſpirans, ferociter impulſus fuiſti.

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De perfectionibus diuinis.

ELucet diuina bonitas in omnibus planè Creaturis, quidquid enim boni vſpiam reperitur, hoc in Creatore infinities ſupereminet, cujus bonitatis effectꝰ eſt, quod præſentis mundi machinam, tot animalium ſpeciebus exornarit, attribuens cuique liberaliter, non ſolum quicquid ad ejus conſeruationem, ſed etiam recreationem ac fœlicitatem (obſeruatâ tamē proportione naturalis capacitatis) abſq; vlla recompenſatione mercedis, neceſſarium fuit. Hanc eandem bonitatem nō tantùm animaduertimus, quando peccatorum, ipſum ſemper offendentium, benigniſſimè miſeretur, ſed etiam cum juſtos omnes plus quàm paternâ prouidentiâ tuetur & circumplectitur: Et vt verbo dicam, tanta eſt ejus diuina bonitas, quanta ipſius eſſentia, hæc autem infinita, ergò & illa. Quod ſi itaque bonum ſit amabile, majori autem bono major amor, & ſummo

mo maximus debeatur, absque vlla controuersia, Deus, qui infinitum bonum est, infinities erit amandus.

Obligamur ad amandum Deum, non tantùm quia bonus, sed quia pulcherrimus, & omnis pulchritudinis scaturigo, de qua cœteræ omnes Creaturæ participant, tàm in cœlo, quàm in terra: imò adeò speciosus est, & vnicus suæ diuinæ faciei aspectus sufficiēter omnes cœlestes spiritus beatificet, cujus dulcissimâ visione sic rapiuntur, vt in ejus delectabilissimum vultum insatiabiliter, & cum suauissimis desiderijs æternaliter intendant, & quod amplius est, ipsiusmet Dei fœlicitas consistit in plenissima infinitæ suæ pulchritudinis contemplatione.

Constat, homines non amare solùm bonitatem ac rerum pulchritudinem, verùm etiam sectari sollicitè voluptates, Deus autem omnium voluptatum castissimarum, atque delitiarum suauissimarum est oceanus inexhaustus, in quib⁹ anima humilis, dum se illius obsequio fideliter ac perseueranter addicit, perpetim natat, & jucundissimè ac plenissimè epulatur, & in corpore mortali existēs, cœlestē quandam habitudinem immortalitatis induit.

Sicut Deus in cœteris attributis est infinitus, ita & in sanctitate, nam quæ puritas illi comparari valeat, qui impeccabilis est, quæ sanctitas conferri, qui omnis sanctitatis fons est atq; principium, quorum virtutes audebunt cum suis contendere, cum Creaturæ ab ipso solo omnes virtutes emendicare cogãtur? vndè euincitur, Deum solum sanctum sanctorum omnium semper adorari & amari.

Admiranda quoque est diuina prouidentia, quæ suis electis accuratissimè prospicit: Siquidem citissimè ipsorum orationes exaudiat, eos abundanter soletur, in angustijs confortet, & ab omnibus periculis potenter eripiat ac liberet: Sed & Patientia illius infinita suspicienda est, quâ tot peccatorum atque impiorum hominum injurias acceptas tolerat, & misericorditer indulget, quorum omnium causa est, quia totus noster. Nam quòad diuinitatem, est noster Creator, Conseruator & Sanctificator, nostra salus, vita, gloria, & omnia, &c. quò ad humanitatem, noster est Liberator, Redemptor, Rex, Sacerdos & Sacrificium, noster Aduocatus, Pastor, Medicus, Magister, Pater & Mater, nostrum exemplum, verum & vnicum gau-

gaudium, quæ certè omnia & ſingula nos in ejus amore ſtabiliunt ac confortant.

I. Actus Interni.

HVmillime DEVS, poſthac viliſſimus Ego peccator, nil magis in votis habebo, quàm vt pro ſanctiſſimi nominis tui honore & gloria, tàm à cœlo, quàm à terra maximè deprimar, imò verò inter bruta quoq; animalia, ob meam in te multiplicem admiſſam perfidiam, recenſear.

O vtinam in auribus meis, quamdiu lucis hujus vſurâ fruar, perpetim tinniret perennis mei ipſius exprobratio, eo quod hucvſq; tàm tepidè ac negligenter, coram te Deo meo ambulauerim, vt proindè grandè portentum ſit, ſi vel in minimam ſuperbiam auſim eleuari.

Iuſtiſſime Domine, ex hoc nunc & vſq; in ſæculum, maledico omnibus meis præſumptionibus vanis, arrogantijs & faſtibus tàm internis quàm externis, veluti vniuerſorum meorum infortuniorum ſpiritualium ſcaturigini, quæ in hanc horam meritiſſimè quidem, at infeliciſſimè ſemper incurri.

Magnificentiſſime Domine, omnes alios homines poſthac, vt par eſt, meliores, ſan-

ſanctiores, doctiores, illuminatiores, ſapientiores, perfectiores & habiliores me in omnibus ſincerè arbitrabor, quod quidem (vti ſpero) abſq; vlla difficultate præſtare potero, ſiquidem clariſſima rerum veritas hoc ipſum luculenter ſatis proclamet, me ſcilicet nil prorſus eſſe, nec vnquam quicquã ſciuiſſe, nec valuiſſe, nec adhuc quidquam ſcire aut poſſe, & in iſta mei exinanitione vehementer ſemper vſq; ad mortem exultabo.

Excellentiſſime cœli ac terræ Creator, qui totus laudabilis & glorioſus, & ſuperexaltatus es in ſæcula, & tamen in hujus mundi deſerto abijci & contemni elegiſti, quanto magis ego, qui mortalium omnium ſum ſtolidiſſimus, & fœdiſſimorum criminum oneribus vſque ad ipſummet Infernum incuruatus, ſemper humiliari atq; confundi debeo.

Domine mi Ieſu Chriſte, tàm ardens proh dolor, intenſa & peſtilens eſt ſuperbiæ meæ febris, vt non niſi amariſſimo opprobriorum poculo ſanari queat, quapropter te expertiſſimum animarum noſtrarum medicum ſuppliciter deprecor, ne me pro derelicto habeas, ſed innumeris potius humiliationibus ad beneplacitum

tuum

tuum me curare digneris, ne infeliciter pereamꝰ.

II. Actus Externi.

PRæter actus illos, quos in feria ſecunda 1. hebdomadæ attuli, de cognitione ſui, addi poterunt etiam ſequentes: Geſta aliorum laudabilia ſibi nunquam, neq; directè, neq; indirectè, neq; verbis, neq; nutibus aſcribere. Nunquam pertinaciter aut clamoroſè ſuam defendere opinionē, ſed alijs facilè cedere, licet melius noſſe aut ſcire videaris. Vniuerſos ſe meliores, ſanctiores, doctiores, nobiliores & habiliores, practicè æſtimare, omneſq; vt decet, cordialiter venerari. Cum inferioribus ac ſimplicioribus libentius conuerſari, quàm cum majoribus. Inter loqnendum & agendum vti verbis, nutibus ac geſtibus humilibus, manſuetis, beneuolis ac ſimplicibus, rejectâ omni jactantiæ ſpecie. Ad audiendum & diſcendum potius, quàm inſtruendum inclinari. Aliorum ſermocinationes bonas non interrumpere. De nemine vnquam murmurare, neq; ſuſpicari. Conſilia aliorum bona libentius apprehendere ac ſequi, quàm propria dictamina. Veraciter ſemper arbitrari, in omnium cordibus lu-

cere

cere solem, præterquam in suo infinitis errorum & ignorantiarum tenebris oppleto, & juxta hunc animi sensum sincerè coram Deo & hominibus operari. Nulli suos defectus etiam minimos exprobrare vel manifestare. Iræ passionem quàm diligentissimè coercere & comprimere.

Affectus igitur generalis erit tàm ex Matutina, quàm Vespertina Meditatione eruendus: Profunda sui Humilitas: Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CHristus Imperator Cœli & terræ crucis pondere in terrā vsq; deprimitur, & indignissimè prosternitur, & Ego omnium peccatorum abominabilissimus, audebo vel leuissima etiam jactantiæ ac superbiæ cogitatione, temerariè & improbè eleuari?

Ratio ex Meditatione Vespertina.

QVis ambigat Deo soli ob infinitas suas perfectiones æternam deberi gloriam, vndè non abs re concluditur, mihi homi-

homini peccatori omnium ſceleſtiſsimo ac vitioſiſsimo, vniuerſam humiliationem ac deſpectionem meritò deberi.

Feria ſexta.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus obligationis ſui ſtatus, qua Chriſtianus, qua Religioſus, qua Carmelita Diſcalceatus.

CVm huc vſque etiam in veſte Religioſa ægrè partes veri Chriſtiani impleueris, quomodo inducar vt credam, te religioſo ſtatui vnquam ſatis feciſſe? & multo adhuc minus particulari tuæ profeſsioni, ad quam ex Regula & votis ſolemnibus emiſsis, te Ordo Carmeliticus grauiſsimè obligat.

Nouit te in Baptiſmo dixiſſe (Abrenuncio diabolo , & omnibus operibus ejus) ſed an facta verbis concordent , conſcientiam propriam diſcutias, & clarè apparebit, te & perfidum & periurum omnibus diebus infœliciſſimæ vitæ tuæ extitiſſe , & à Deo creatore tuo viliſſimè & impudentiſſimè ſemper defeciſſe.

Quis obſecro reſpectus Dei , non jam per-

perfectionis in te fuit vnquam, cum tam leuiter ac liberè peccata & defectus grauiores, ex improba tua consuetudine, & peruerso contracto habitu frequentissimè admiseris, quasi Deum non seuerissimum Iudicem futurum habiturus esses, sed coram stipite aliquo ligneo & insensibili, vel cœco aliquo idolo, tuarum iniquitatum ignaro impunè peccares?

Nunquid non interius te jugiter corrodens & insaniens conscientia tua sine intermissione arguebat? vt (quod turpe etiã est effari) si non religiosè, pro vt obligaris, ad minus Christianè ac timoratè, non dissolutè viueres, & tu per fas & nefas, aures & cor infatuatum tuum ac pharaoniticum malitiosè obstruebas, ne Deum te benigne monentem, & salubriter corripientem audires: O judicia Dei horrenda & inscrutabilia super peccatores obstinatos, in interitum sempiternum properantes!

Fortè tanquam Carmelita Discalceatus vixeris, quod planè ridiculum est, nemo enim de infimo repentè fit summus, sed per media oportuna ascendendum est: quod si nec præcepta Dei vt Christianus, neque Consilia Euangelica vt Religiosus obser-

obſeruaueris, ad ſublimam ne perfectionem verorum Carmelitarum te pertigiſſe æſtimauero? abſit vt ſimile quid de te concipiam.

Rectiſsimè judicabis, ſi te hactenus in florentiſsima hac religione, non niſi vanum quoddam phantaſma, fictam chimæram, & pomum ſylueſtre putridum fuiſſe arbitratus fueris, reuera enim, quaſi arbor annoſa, ſterilis, & bis mortua, nullum veræ virtutis fructum maturum proferre nouiſti, ſicut omnes tui incompoſiti mores, & futilis viuendi ratio apprimè teſtatur, quod ſanè lachrymis ſanguineis deplorandum foret.

Oppoſita juxta ſe poſita facilius eluceſcunt, ideoque vt tuam infelicitatem melius penetres, reſpice quæſo perfectam virorum ſanctorum vitam, vt in illorum fulgoribus ſanctitatis, tuas nebulas vitiorum cum rubore animaduertas, & agnitâ earum turpitudine & obſcuritate infernali, ſeriò te corrigere & emendare feſtines, non enim majorem habilitatem ad virtutis operationem acceperunt quàm tu, ſed majorem à Deo gratiam ob fidelem correſpondentiam ſiue cooperationem habere meruerunt.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De mæstißima Deiparæ Virginis afflictione ex Filij sui doloribus.

VNus ex acerbioribus doloribus Christi, fuit compassio suæ innocentis & charissimæ Matris, sub arbore Crucis fideliter sibi assistentis, nam cum amor eorũ mutuus fuerit tenerrimus, & vnum omninò cor, necessarium fuit, vt vno afflicto, alterum quoq; ijsdem subijceretur doloribus. Torquebatur grauissimè pijssima Virgo, vnigeniti & dilectissimi sui filij cruciatibus, æstuabatque ad mortem properanti, vel vnicum saltem impendere pro viribus solatium, omnibus angustiæ & dolorum spiculis ad mortem vsq; perfossa, quem cum à longè conspicata esset, quis obsecro cogitando aut dicendo consequi posset, quanto mœrore percelleretur, cum eum ita miserabiliter derelictũ, & graui insuper crucis pondere onustum videret, aspiceret quoque vultum ej⁹ gratiosum, quem toties summa cum amoris teneritudine fuerat circumplexa, adeò difformatum, contusum, consputum ac

luci-

lucidum, cum intueretur caput illius venerandum, quod frequenter magnâ cum reuerentiâ materno suo appresserat cordi, horribili spinâ ferocissimè compunctum: cum cerneret Deum ac Dominum totius vniuersi impijssimè contemni, & inter sceleratos latrones annumerari, ac denique innumeris hiantem vulneribus, sub crudeli ligno ingemiscentem. à publicis lictoribus ad infame Crucis supplicium trahi.

Quod si dolorosa Christi mater in istis sui Filij cruciatibus non fuisset diuinitus præseruata, & corroborata, futurum omninò erat, vt cor ejus afflictissimum præ immani dolore in mille partes ruptum dissiliret, siquidem tot angustijs absorberetur, vt velut graui pressa saxo vix respiraret, absque vllâ tamen impatientiæ nota, & absq; vlla deformitatis externæ exhibitione, quæ funditus adeò semper resignata manebat, perfectissimè illius diuinæ conformis voluntati in omnib9, quippè plena erat Spiritu Sancto, idcirco nouerat ex Prophetis, moriendum esse filio suo, eaque de causa mortale assumpsisse corpus, sicque visum esse Patri cœlesti, vndè quemadmodum IESVS vltrò sese ob-

tulit Patri hostiam viuam pro salute mortalium, ita & Virgo Beatissima dulcissima MARIA, eundem quoq; Filium suum obtulit pro humani generis salute, maluitq; solatio priuato destitui, quàm horum impedire Redemptionem.

His tamen non obstantibus, flagrantissimus D. Virginis amor erga Filiũ, sese intus cohibere non poterat, absque eo quod purissimum ejus cor totum exureret, consumeret, liquefaceret, ita vt in feruentes lachrymas prorumperet, viuidum illius obfuscaret colorem, & innumeros magna cum spiritus angustia, extorqueret gemitus, quibus filium vsque ad mortem constanter est prosequuta.

Euolue pariter, quanto dolore sanctissima ejus anima fuerit transfixa, cum cerneret Filium jamjam viribus naturalibus deficientem, coram oculis suis in illo mœstissimo ad montem Caluariæ itinere, miserabiliter pronum humi vnà cum cruce imposita labi, cui libentissimè materna supposuisset brachia, vt eum subleuaret, modò licuisset, sed necesse erat, vt vnà cũ illo tota afflictionibus & ærumnis affligeretur, Deo sic dispensante, cujus vnius beneplacitũ in singulis euentib⁹ requirebat.

Hujus

Hujus diei diuina præsentia erit: Christus dolorosissimæ suæ Matri occurrens in itinere versus Caluariæ montem: Et pro memoriali sequentibus actibus stabilietur.

O Pijssime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia tàm indicibiliter ob intensissimos dilectissimæ Genitricis tuæ compassiuos dolores afflictus fuisti.

Dulcissime Domine mi Iesu, Ego N. vt suqra, &c. Quia in eductione tua afflictissima ad montem Caluariæ, tùm aspectu tenerrimo, tum internis alloquijs tuam desolatissimam Matrem, quàm amantissimè delinijsti.

O benignissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia innocentissimam tuam Genitricem, quantumuis à crudelibus circumdareris & raptareris militibus, ab omni nihilominus immodestia improborum inimicorum protexisti.

Sapientissime Domine Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia sanctissimæ Virgini Matri tuæ in medijs tuis amarissimis doloribus & cruciatibus, omnimodam conformitatem habendam cum voluntate Patris tui cœlestis, fidelissimè inspirasti.

Amantiſsime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia acerbiſsimos dulciſsimæ tuæ Genitricis dolores, tuâ filiali pietate erga illam attemperaſti.

Sanctiſsime Saluator noſter, Ego N. vt ſupra, &c. Quia amantiſsimam Matrem tuam vnà tecum in montem Caluariæ aſcendere, & ſub cruce fortiter ſtare indulſiſti.

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De igne Purgatorij.

NEmo vel minimo peccati, culpæ, aut pœnæ nœuo coinquinatus, corpore mortali ſolutus ſtatim cœlum ingreditur, ſed prius ad locum purgatorij deſtinatur, vt ibi diuinæ juſtitiæ ſatisfaciat per pœnam temporariam vſq; ad vltimum quadrantem, niſi fortè prius in hac mortali vita, verâ pœnitentiâ debitum omne ſolviſſet, hinc obſtupeſcendum eſt peccati venialis exitium, cum ſuo quaſi pondere miſellam animam, in profundam illam terræ abyſſum deturbet, & impediat, quominus quàm citiſſimè in cœlum feratur, & immediatè ab exitu è corpore, optatiſſimâ Dei viſione gaudeat.

Euolue

Euolue tecum extremum illum dolorem, quem jam animæ purgatorij perferunt, & quem nostræ habituræ sunt, vbi se in duri hujus carceris obscuritate coarctatas conclusásq; videbunt: Fides quippè, quæ Dei illis pulchritudinem certò depingit, in illis viua est, à qua perpetim exstimulantur ad Deum videndum, & habendum finem vltimum suarum afflictionum: Amor etiam diuinus in ipsis impressus manet, adeò vt ardenter valdè amoris sui objectum, illiusq; pulchritudinem infinitam adspicere desideret, ex qua dilatione incredibiliter anguntur.

Affligit insuper eas incertitudo liberationis, quæ ipsas suspensas tenet, quod ignorent, quàm diu tenebroso & molesto hoc carcere detinendæ sint, & si in omnibus & semper diuinæ se voluntati attemperent, scientes istam pœnam sibi justè infligi, pro culpis, quas commiserunt, dum in terris agerent.

Torquentur animæ purgatorij igne terribili, qui infernali per omnia similis est, quo animæ puriores ac nitidiores euadunt, suntq; hęc tormenta omnibus vitæ præsentis multo grauiores, etiam Martyrum, quib⁹ vnquam à Tyrannis fuerunt affecti.

Ex horum omnium consideratione firmiter secum statuat, peccatis in hac vita vsquequaque satisfacere, omnes pœnitentias & afflictiones æquanimiter suscipiendo ac perferendo, & omni diligentiâ peccata venialia fugiendo, quorum admissio aliud non est, quàm ignis illius continua accensio.

I. Actus Interni.

IVstissime Deus, quod si mihi incumbat Christianè viuere, quantò magis obligabor, vt religiosam vitam traducam? nam si omnes alij Christiani ad communem sequendam perfectionem inuitentur, dicente Christo: Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est: Ego certè qui arctioribus vinculis ex vi meæ Professionis obstrictus sum, ad multò eminentiorem perfectionem tenebor, ita vt nullum amplius imposterum hac in parte dubium mihi supersit.

O Domine Deus, quot lachrymis & & fletibus effusissimis diutina mea est deploranda socordia, qui nomen Religiosi tot operibus inutilibus, tàm infeliciter hucvsq; sempèr profanauerim, ne dicam conculcauerim, faxit igitur infinita bonitas

nitas tua, vt tandem aliquando veterem animæ meæ deformitatem, prauis morib⁹ contractam, nouo feruoris ſpiritu, ad priſtinum verarum virtutum ſtatum perducam.

Spiritus tuus, Domine mi Ieſu, quem aſcenſurus ad Patrem ex hoc mundo nobis in hæreditatem optatiſſimam reliquiſti, omninò ſincerus eſt, mitis eſt, humilis eſt, patiens eſt, obediens eſt, purus eſt, ſanctus eſt, innocens eſt, charitatiuus eſt, perfectus eſt, & ſimilibus infinitis cœleſtibus margaritis exornatus, quem in ſchola tua diuina tùm verbis tùm factis excellentiſſimis ſemper docuiſti; Quid ni ergo Ego, qui me diſcipulum tuum profiteor, eundem quoq; totis conatibus ſequi ſtudeam?

O increatæ ſapientiæ ſpeculum terſiſſimum, Domine mi Ieſu, in quod perpetim intueri cum omni reuerentia & timore obligor, vt ex indè innumerabiles errores meos accuratè corrigam: En poſthac nunquam te ab aſpectu meo interno remouebo, vt coram oculis tuis veraciter legum tuarum obſeruantiſſimus cultor inueniar.

Status omnimodæ tàm Chriſtianæ, quàm religioſæ perfectionis, & quidem

hujus meæ. N. cordi mihi esse debet, prænoscens me in hora mortis, vti talem, diuino tribunali tuo sistendum & judicandum, quapropter enixius te rogo, gratiam largiaris, vt tàm seriæ ac strictæ obligationis vigilantissimam curam habeam, ne periclitet.

II. Actus Externi.

CVm magno zelo propriæ professionis obligationes & obseruantias, tàm generales quàm particulares, semper defendere. Frequenter semet discutere, an in aliqua deficiat obligatione, & debitum quantocyus adhibere remedium. Euoluere jugiter secum & magnifacere proprij potissimùm status obligationes, propriæque professionis & vocationis finem principalem, & media ad hujusmodi finem ordinata ac proportionata, cum singulari eorundem ponderatione & æstimatione perquirere. Sæpè reminisci diei professionis suæ, & primi ingressus in Ordinem, ex grato animi affectu erga Deum, & quid tunc ipsi promiserit, vt in legitima suæ vocationis intentione amplius roboretur, repetens illud S. Bernardi: Frater ad quid venisti? Multoties sibimet cum feruore

uore & peculiari energia inculcare ac persuadere, se nullibi securius, melius ac citius saluari posse, quàm in hoc statu, ad quem à Deo vocatus fuit. Crebrò Deum suppliciter interpellare pro perseuerantia suæ Professionis ad mortem vsque.

Affectus igitur generalis erit ex vtraque tàm Matutina, quàm Vespertina Meditatione eruendus: Seria proprij status recordatio: Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CHristus Dominus & Redemptor noster, & sanctissima Mater ejus, prima & absolutissima virtutum & omnis perfectionis, tàm Christianæ, quàm etiam religiosæ, exemplaria semper extiterunt, quocirca eò amplius ad status & vocationis meæ perfectionem accessero, quò illas accuratius fuero æmulatus.

Ratio ex Meditatione Vespertina.

SI me terrent pœnæ purgatorij, & ab ijs nunc abhorreo, certè multò magis me terrere deberent defectus admissi in statu pro-

professionis meæ, eò enim acrius flamma illa tunc mordebit, quo plures in me imperfectiones exurendas inuenerit.

Sabbatho.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus proprij Iudicij ac Voluntatis.

SOlus tibi sapiens in oculis tuis semper visus es, & tibi ipsi, ac tuæ indiscretissimæ discretioni mordicus inhœsisti, immemor, quod juxta commune elogium, sibi ipsi nimium credens, stulto ac fatuo credat, & vt plurimum decipiatur.

Genuina superbiæ filia est proprij judicij executio, & majoribus ignorantiæ tenebris atque errorum præcipitijs nunquam quis inuoluitur, quàm cum proprij dictaminis obscuram noctem obstinatè nimis perambulat, vbi in quolibet passu plerumque offendit.

Sed dic mihi quâ luce proditus sis aut doctrinæ, aut naturalis perspicacitatis, aut etiam ordinariæ siue extraordinariæ illuminationis diuinæ, vt te solum, inconsultis sapientioribus, præsertim in difficillimo

limo negotio ſaluationis dirigere præſumas, qui in obuijs quibuſque & apertiſſimis frequenter hallucinatus es, & turpiſſimè aberraſti?

Quantum meritorum cumulum huc vſque tibi ipſi ſuffuratus es, quod in tua propria ſapientia ac videri ſteteris, & tuam modicam obfuſcati intellectus candelulam, aliorum clariſſimis ſapientiæ luminibus perluſtrandam non ſubjeceris?

Cecidit Salomon à magnitudine ſapientiæ ſuæ, & ad fœdiſſimas idolorum cœcitates deuolutus eſt, & tu in paruula ſcintillula humanæ prudentiæ tuæ, ſecurum te, & ab omni errore immunem arbitraberis?

Quod ſi de inordinata tua voluntate ferre ſententiam volueris, quæ à tenebroſo ſuo videri ſuum tantillum lumen, ſcilicet obſcurum accepit, quid aliud in rei veritate concludes, quàm cœcum à cœco ſemper ductum fuiſſe, & ambos millies in foueam errorum & vitiorum etiam grauiſſimorum miſerè cecidiſſe.

Teſtis eſt expertiſſimus rerum ſpiritualium Magiſter D. Bernardus, Iuditium proprium & propriam Voluntatem eſſe voraciſſimas illas lepras, quæ omnem vigorem

gorem ſpiritus corrumpunt, omnem humorem virtutum exugant, & animam putredine vitiorum tabefactam tandem in inferno per omnes æternitates ſepeliant.

Deſcendit Filius Dei de cœlo, vt ſuâ obſequentiſſimâ voluntate in beneplacitum Patris ſui cœleſtis, deſtrueret voluntatem propriam in terris, & tu non ſolùm cogitatu, ſed & verbo & opere eandem in expreſſum ejus deſpectum de nouo ſuſcitare & canonizare audebis? ô infatuatum cor tuum! ô ſtultam præſumptionem tuam! vide igitur ac time, ne forte duriſſimum tibi ſit contra ſtimulum calcitrare, ex quo interitus tibi promanet ſempiternus.

Quàm arroganter, quàm pertinaciter, quàm obſtinatè & quàm ſcandalosè, ſæpius etiam conſcientiâ reluctante, imò apertè conuictus, tuum tamen corruptum juditium & improbam voluntatem, velut duo idola, ab alijs coli, adorari & approbari imprudenter molitus es? formidans, ne vel tantillum ſtolidæ vanitati tuæ ſubtraheretur, ita vt potius ſub vmbra mendacij, quàm ſub veritate eligeres quieſcere, quod & infame, & longè impijſſimum eſt.

Medi-

Meditationis Matutinæ Medulla.

De Christi Domini Crucifixione.

PRiusquam Christus cruci cõfigeretur, sacras ei vestes despicabiliter detraxerunt sæui illi ministri, sacris ejus vulneribus omnibus recrudescentibus, & nudatũ Saluatorem mundi inter horrẽda improperia, inhumaniter valdè, versus crucem humi extensam rapuerunt, vt pro nobis peccatoribus immolaretur, quam cum videret, pijssimis in cœlum eleuatis oculis amanter salutauit inquiens: O crux beatissima, tãto tempore concupiscenti animo meo præparata, & triginta tribus annis inquisita, vt humani generis in te operarer salutem: O lignum pretiosum, per quod Iustitiæ Patris mei jam satisfiet, vt debitum antiqui prẹuaricatoris soluatur. O lignum fœcundissimum, inter omnes arbores benedictum, quia solum dignum est ferre vitæ fructum, quo virulenta serpentis veternosi infectio profligabitur.

His suauissimis Christi eloquijs barbari illi carnifices nihil moti, eum protinus imitissimè supra rigidũ lignum pro-

stra-

ſtrauerunt, arreptamq; manum alteram, craſſo quodam clauo ferreo, repetitis horribiliter ictibus, cruci confixerunt, cum immenſis Ieſu doloribus, nam quia grandis erat & obtuſus, per ejus venas, neruos & oſsicula, vi multâ adigebatur, teneram pariter cutem dirè radens, & ab hianti vulnere abſtrahens, quod ſanè ſpectaculum extitit horrendum.

Mox ſanguinarij illi, alteram quoque manum jamjam pari crudelitate perforádam apprehenderunt, vt cruci affigerent, ſed quia longius diſtabat foramen, Chriſtique corpus frigore, & copiosâ ſanguinis effuſione nō parum contractum erat, neceſſe fuit, vt rudi fune implexam vehementi extenſione ad locum deſignatum adjungerent, infixam interim priorem manum retinentes, quod abſque nouo & & horribili cruciatu accidere nequibat, hâc itaque perfoſsâ, eundem rigorem circa innocentes Domini pedes exercuerūt, prius acerrimè extenſos, & oblongo quodam clauo fiſſos & transactos.

Certè vniuerſa Chriſti membra laniata, in longum latumque diuulſa, extra ſuas turbata fuerant juncturas, ita vt ne vnum quidem ſuo hæreret loco, poſſentq; facilè

facilè numerari, omnes enim nerui contrahebantur, cunctis interioribus attritis, proindè venerabilis Beda proclamat, inquiens: Christus pendens in Cruce, manibus pedibusque confixus, lentâ morte attritus est, diuque in pœna perdurauit, non quò eum delectaret viuere, sed ne passio sua citò finiretur, &c. Et D. Bernardus innocentem Saluatoris mortẽ deplorans ait: Quid commisisti dulcissime puer? quid fecisti amantissime Iuuenis? quæ tua noxa, quæ tuæ causæ damnationis? ego certè tui sum causa doloris, quod perpetrauit seruus nequam, Dominus soluit, quod commisit injustus, soluit justus, &c. Vt scilicet hâc ratione nostrã accusantes ingratitudinem & culpam, Christi infinitam innocentiam ac bonitatem deprædicemus.

Hujus diei diuina præsentia statuetur: Christus Cruci affixus: Et pro memoriali sequentibus actibus stabilietur.

CElsissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia immediatè antequã Cruci affigereris, vestibus prius tuis sanguine agglutinatis, vsq; ad omnimodam nuditatem propter me expoliatus fuisti.

O Patien-

Patientissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia immanissimè in ligno crucis, duris funibus vsque ad ipsam juncturarum corporis diuulsionem truculentissimè extensus fuisti.

Innocentissime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia incredibili cum ferocia sacrilegorum carnificum, durissimis clauis patibulo crucis ignominiosè affixus fuisti.

Dilectissime Domine Redemptor mi, Ego N. vt supra, &c. Quia pendens in Cruce pro salute hominum, pretiosum valdè cruorem tuũ copiosissimè effudisti.

Amantissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia tribus horis in cruce, immensis doloribus intrinsecus & extrinsecus consumptus fuisti.

Humillime Domine mi Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia ex ipsa cruce, de mundo, carne & diabolo victoriosissimè triumphasti.

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De infinita Sapientia & Scientia Dei.

COmprehendit Deus sapientiâ & scientia sua infinita seipsum, & infinitam

ſam intellectus ſui capacitatem ſcientiæ ſuæ contemplatione cum gaudio ſingulari replet, vt nihil deſideret, nec deſiderare velit, quod non perfectiſſimè norit: Hanc à ſe ipſo ſcientiam habet, non ab alio acceptã, propterea ſolus eſſentialiter ſapiens eſt, & quicquid fuit, eſt, & futurum erit, imò quicquid eſſe poſſet, & nunquam futurum eſt, comprehendit.

Per hanc ſuam ſcientiam inuenit diuina Majeſtas, quidquid in rerum natura eſt, nimirum omnia naturæ & gratiæ opera ſimul, ipſe etiam vniuerſa, quæ in mundo ſunt, certo ordine, pondere, & menſurâ, idque mirabili quadam diſpoſitione diſpoſuit, nouit ſolus ſtellarum numerum, arenarum grana, aquarum maris & fluminum omnium, quæ modò ſunt, fuerunt, & erunt, guttas, nouit frondiũ, arborum & herbarum, item hominum, angelorumque numerum, terræ molem, elementa & creaturas omnes tribus apprehendit digitis, & omnia & ſingula, in cœlo & in terra, & ſub terrâ acutiſſimè ac pleniſſimè penetrat.

Eſt hæc Dei ſcientia & ſapientia æterna, immutabilis, profundiſſima & euidentiſſima, vno oculi ictu videns, quicquid

comprehendit æternitas, & quidquid videri scirique potest, nec vllius obliuisci potest, adeò vt semper nostri recordetur, sibique præsentes in diuina sua habeat memoria: Nouit quoque, quidquid hodiè in mundo vbiuis locorum & temporum fit, hoc ipso instanti omnium cordium, & vniuscujusque arcana etiam abditissima rimans: Nouit denique, quidquid in æternum fiet, & à voluntatis creatæ libertate dependet, item quidquid fieri possibile est, quamuis nunquam futurum sit: Quamobrem hanc infinitam Dei scientiam & sapientiam summè semper reuereri debemus, quandoquidem videamus, nos ejus manum nunquam effugere, aut aliquod nostrorum operum eum latere non posse.

I. Actus Interni.

MIsericordissime Domine Deus meus, cum nemo rectæ rationis compos, tàm stolidus reputari velit, vt scienter ac liberè alicujus venenosæ arboris fructus edere velit aut præsumat, ne mortem incurrat, quantò magis circumspectè & vigilanter agere debeo, ne venenosissimæ, quæ vspiam reperiri queat arboris, videlicet proprij Iuditij ac propriæ voluntatis,

tis, amaros fructus decerpam ad edendum, ne memetipsum æternæ mortis jaculo miserabiliter confodiam.

Sanctissime Deus, Sancti tui omnes semper exhorruerunt proprij Iuditij, propriæq; voluntatis pernitiem, haud aliter quàm turpissimam lepram, & grassantem ac jugulantem pestem, cui ipsam compararunt; quin ergò & Ego vestigijs ipsorum insistens, tàm indicibile malum non summa cum contentione pessimè odero?

Absit Domine mi, cui omnem fidelitatem in die professionis meæ juraui, vt proprij Iuditij ac voluntatis detestabilia idola, in templo cordis mei vlterius patiar, quia potius vbicunq; illa aduertero in me, animosè ex zelo diuini tui honoris confringam, & longè proijciam, ne forsitan ariolandi crimine nefario improbè obstringar.

Dilectissime Domine mi Iesu, deinceps sentire tuum, sentire meum erit, & velle tuum, velle meum, non è contra; Idcircò securissimus sum, quod hac ratione à beneplacito tuo non aberrabo, cui constantissimè innitar, licet omnia & singula meis inclinationibus è diametro contraria euenire contingant.

Ah Domine mi, vtinam citius, maturius atq; sagacius super me reflexissem, haud dubiè resciuissem, sinceram & vigilantem proprij Iuditij & Voluntatis abnegationem esse opulentissimum quoddam bonorum omnium spiritualium horreum, ad quod vnicè semper adspirassem.

Oportunè admodùm, Domine mi Iesu Christe, tuam ex integro corde imposterum amplectar in omnibus agendis & omittendis sanctissimam voluntatem, vt hoc pacto vniuersa obstacula perfectionis consequendæ securius & certius atq; validius euitare queam.

II. Actus Externi.

AB ore & directione, præsertim Superiorum, etiam Confessarij vel ducis aut Patris spiritualis, in omnibus semper practicè dependere. Quicquid boni agit, non idcircò agere, quia ad id propendeat, sed quia cognoscat & arbitretur, Deo id fore acceptissimum. Diuinis inspirationibus promptè, quoad internam & externã suorum defectuum correctionem, virtutumque acquisitionem obedire, quantũuis propria reclamet sensualitas. In omnibus

nibus etiam leuiſſimis oblatis occaſionibus, propriam voluntatem, propriumque infringere judicium, eis jugiter contradicendo. Facilè credere ſiue aſſentiri ijs, quæ ab alijs proponuntur, ſcilicet in rebus decentibus & vtilibus, licet non adeò docti & experti eſſe videantur. Suam ſententiam nunquam dicere, ni rogetur aut jubeatur. Fugere tanquam peſtem ſemper quantamlibet duritiem capitis ſiue obſtinationem.

Affectus igitur generalis ex vtraque Meditatione tàm Matutina, quàm Veſpertina eruendus, erit : Abnegatio proprij Iudicij ac Voluntatis : Cujus rationes Applicationis ſunt ſequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CHriſtus Dominus noſter, meæ ſalutis causâ, ſponte ſe crucifigi, & à ſtolidiſſimis peccatoribus occidi permiſit, quantò amplius Ego, qui omnium errorum, & totius ignorantiæ ſum abyſſus, amore illius, abjectâ meâ propriâ voluntate, & proprij Iudicij tenacitate, ſuperiorum

rum meorum dictamini, me in omnibus promptissimè subijcere debeo?

Ratio ex Meditatione Vespertina.

SIcut ante solis radios tenebræ disperguntur, sic omninò excœcatũ ac proprium meum obscuratum judicium, propter Deum sapientissimum & scientissimum, coram Superioribus meis ejus vices gerentibus, semper disparere meritò debet.

Dominica.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus tàm internorũ, quàm externorum sensuum.

SI tuos sensus æternæ mortis fenestras esse ignorasses, fortè colorem aliquem excusationis tuarum imperfectionum inuenire ac prætendere potuisses, nunc autem quotidianæ tuæ ruinæ exindè prodeuntes, & longa diuturnaque experientia grauissimorum malorum præteritorum te manifestè conuincunt, te id nequaquam latuisse, quomodo igitur adeò insensibilis factus es, vt spontè, imò malitiosè laqueis inte-

interitus sempiterni, infelicem tuam animam toties præfocandam, per infrenes sensuum tuorum euagationes inseras?

An non animaduertis grauissimam injuriam, quàm perfidè Creatori tuo infers, dum instrumenta ad operandam salutem tuam, turpiter & improbè toties abuteris in ejus apertum contemptum, & in tuam perditionem? quia sensus tibi creditos, per vanissimam eorundem laxationem, per omnia hujus mundi ludicra & exitialia iniquè dispergis?

Heu quis enumerare poterit vulnera quæ accepisti, dum in tot millenas transgressiones legis diuinæ præcipitatus es, eò quod in latrones immortificatorum sensuum & appetituum tuorum incideris, qui ad mortem vsq; te mactauerunt: quoties oculus curiosus, incautus & lasciuus depredatus est animam tuam? quoties lingua procax te in periculum vocauit? quoties auris vanitatis te decepit? quoties gustus & olfactus te illusit? & tactus mollis & sensualis, quoties te insanire fecit? In medio igitur tot sicariorum quomodo non circumspectius agis, & gladio diuini amoris ac seriæ mortificationis te defendis, ne prorsus intereas?

Non minorem ſanè ſtragem, imò periculoſiorem in te concitarunt ſenſus tui interni; Cogitatiua enim & phantaſia animæ tuæ inimicos feroces nequiter intromiſerunt: Memoria & reminiſcentia occultarunt, concupiſcibilis blandiſſimè fouit, jraſcibilis verò arma inordinatarũ paſſionum ejus in manus tradidit, vt dormitante Ratione te vſquaquaq; inuaderent, & inermem trucidarent: En igitur licentiam illicitiſſimam tuorum ſenſuum tàm internorum quàm externorum, contra te conſpirantium, & in ſtatum deploratiſſimum inducentium, qui te meritò ad diligentiſsimas excubias cuſtodiendas exſtimulare deberet.

Noueris certiſſimè, te altiſſimum perfectionis montem nunquam conſcenſurum, niſi prius ſenſualibus appetitibus tuis mortificationis funum injeceris, atque eos rectæ rationis imperio ſubdideris, ſicut enim impoſſibile eſt, plumbo ac ferro onuſtum per aëra volare, ita & difficilius & impoſſibilius eſt multò, rebellium appetituum oneribus grauatum & implicatum, ad perfectionis ſublimitatem & altitudinem prouehi.

Deberet ſanè Chriſtianus, maximè

Reli-

Religiosus, spectaculum esse omnis sanctitatis, Deo, Angelis & hominibus: sed tu conuinceris tuâ dissolutâ & immortificatè viuendi ratione huc vsque & Dei furorem in te concitasse, & Angelos sanctos contristasse, & homines impudenter scâdalizasse, quod quàm indignum sit professione tuâ, cum dolore cordis tecum expende.

Sunt sensus nostri velut irrationales bestiæ, per hujus mundi campum liberè nimis ac periculosè exspatiantes, qui nisi in caulā aut stabulum mortificationis jugiter impellantur, ex se ipsis illac nunquā reuertuntur, caduntque in infernalium luporum rapinam.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De Christo inter duos latrones Crucifixo.

DOminus noster Iesus Christus cum sceleratis reputatus est, & inter latrones medius, ceu princeps latronum injuriosissimè suspensus: Fecit autem hoc Iudaica impietas, vt ab omnibus similis ijs

esse

esse crederetur in moribus, cum quibus eādem damnatione plectebatur, & sic per alienam malitiam inflammaretur, qui ex sese ipsum innocentiæ ac justitiæ speculū erat, sed humilimus Iesus non refugit inter latrones pendere, pro quibus mori desiderabat, quia cum sceleratis annumeratus est in terris, vt nos Angelorum choris in cœlo aggregaret.

Sed etiam alia consideratio hic tibi occurrat, nimirum, quod idcirco Christus voluerit inter sceleratos medius pendere, non vt reus aut maleuolus, sed vt Iudex, significans, omnem sibi in cœlo & in terrâ traditam esse potestatem, Iudicemque à Patre viuorum & mortuorum constitutum, ideò enim judiciariam sanctæ crucis ascendit cathedram, in medio duorū impiorum, alterum pœnitentem misericorditer recipiendo in gratiam, alterum verò obstinatum in crimine, mortis æternæ faucibus tradendo deglutiendum, pariterque ostendendo, penes se vitæ mortisque imperium esse.

Partiebantur in oculis Christi jamjam exspiraturi, milites siue carnifices improbissimi, sacras ejus vestes inter se, tunicâ tamen inconsutili in sortem datâ, cujus

nam

niam esset: hinc apparet, ad quantam inopiam cœli terræq; Dominus, amore vilissimi & ingratissimi hominis redactus sit, vt eum gratiâ suâ misericorditer vestitũ, ex hujus mundi exilio in paradysi amœnissima palatia transferret, & cum principibus electorum suorum collocaret.

Quia infames illi ministri Iudæorum, Christo jam suspenso in Cruce, nullum poterant concipere tormenti genus, quo illum amplius torquerent, manibus deficientibus; tandem sacrilegas suas linguas exporrexerunt, vt diuinam ejus Majestatem calumnijs impijssimè proscinderent, nouo quippè furore perciti, velut dæmoniaci, belluina sua capita contra mitissimum Iesum agonizantem agitabant, sputis ejus faciem labefactantes, & improbè vociferantes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud: Item, si Filius Dei es, descende nunc de Cruce: Itẽ alios saluos fecit, seipsum non potest saluũ facere, &c. quib9 durissimis blasphemijs & exprobrationibus facilè colligitur, quàm immenso dolore Christi cor suauissimum fuerit discissum, quandoquidem coram cerneret virulentam & obstinatam inimicorum suorum perfidiam, quâ sibi

ipsis

ipsis æternam damnationem, nisi resipiscerent, essent acceleraturi.

Hujus diei diuina præsentia statuetur: Christus Dominus in medio latronum crucifixus: Et pro memoriali sequentibus actibus stabilietur.

HVmillime Domine Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia pro mundi salute cum iniquis latronibus reputatus, in eorum medio cum incredibili infamia pependisti.

Patientissime Domine & Redemptor mi, Ego N. vt supra, &c. Quia ab ipsismet latronibus tecum crucifixis, multis dicteriis & calumniis fuisti affectus.

Sanctissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia à pertranseuntibus illic Iudæis, nequiter innumeris ac fœdissimis blasphemiis, irrisionibus & scommatibus proscissus fuisti.

Pijssime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia te verum Deum esse ingentibus prodigijs, scilicet obscuratione solis, monumentorum apertione, & petrarum scissione, ex ipsa cruce mirabiliter probasti.

Miseri-

Misericordissime Deus, Ego N. vt supra, &c. Quia ab astante Centurione juxta Crucem, cum ejusdem pectoris tunsione, publicam accepisti Confessionem, te Deum esse, sub his verbis: Verè Filius Dei erat iste.

Innocentissime Saluator mundi, Ego N. vt supra, &c. Quia à sanctissima tua Genitrice, & alijs pijs personis illic præsentibus, dolorosè planctus fuisti.

Iustissime Deus, Ego N. vt supra, &c. Quia in ipsa Cruce velut in Tribunali cõstitutus, judicem practicum egisti, malum latronem ad infernum transmittendo, & bonum in paradysum assumendo.

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De pœna sensuum ac damni in inferno.

PEr hæc ipsa puniuntur damnati, per quæ peccauerunt, & sicut peccatum intrauit per portas sensuum, ita quoque per easdem ingredietur pœna, adeò vt visus horrendis spectris, & tetris figuris cruciandus sit, & neq; ad eas non videndas claudi oculi valeant: Auditus execrandis dæmo-

dæmonum & aliorum reproborum blasphemijs & maledictionibus contra Deum torquendus sit, atq; ita de reliquis sensibus, quorum singuli affligentur pro modo delictorum admissorum.

Est ignis infernalis asperrimus & prorsus intollerabilis, cui terrenus siue elementaris noster comparatus, non nisi pictus dici valet, eritq; damnatis sic alligatus, vt ab eo se nunquam posint expedire, plus tamen, minusue, pro majoribus, minoribusue criminibus perpetratis; Caret etiam lumine, spissumq; ac tetrum semper ejaculans fumum, quo rei illi infelicissimi cruciantur, & continuò deuorantur, neque tamen mori queunt, vt moriendo viuant, & viuendo moriantur.

Phantasia illic horrendis imaginationibus agitabitur: Memoria, continua rerum præteritarum quas possederat, simul & præsentium æternarum pœnarum recordatione affligetur: Iutellect⁹ tenebrosis erroribus ac deceptionibus obfuscabitur, vt nihil comprehendere posit eorũ, quæ aliquid voluptatis afferre queant, verùm temerariâ peruicaciâ Deum sibi injurum esse persuadebit. Voluntas Creatorem & Sanctos omnes odio habebit, & in

deli-

delictis suis contumax manebit, vt nullo modo flectatur, mutetur aut pœniteat.

Ibi quoq; erit pœna damni, quæ in æterna summi boni & diuinarum deliciarum priuatione consistit, vt scilicet damnatus in perpetuum se cœlo exclusum, & fine, ad quem conditus est, se frustratum perspiciat, omni spe redemptionis siue liberationis ex illis profundissimis cauernis infernalibus prorsus extinctâ, vbi submersus in lacunis illis sulphureis hærebit, quamdiu Deus Deus est.

I. Actus Interni.

DOmine mi Iesu Christe, communiter occluduntur portæ ac fenestræ domus, ne venti, vel pluuiæ, vel aliæ similes injuriæ aëris, commaculent, inficiant, ac destruant, quæ inibi latent seu asseruantur pretiosa: pari quoqne ratione, te donante, mihi faciendum est, & seriò euigilandum, ne turbines infernalium agitationum, & pluuiæ bestialium delectationū, per apertas sensuum meorum fenestras irruant, sanctaque proposita & pia corrumpant desideria, & vniuersa bona opera & exercitia coinquinent, obruant, & prorsus perdant.

O clementissime Domine, fidelissimus olim seruus tuus, simplex ille & rectus Iob, constanter asserebat, pepigisse fœdus cum oculis suis, vt ne cogitaret quidem de Virgine, & quod promisit, hoc quoque religiosissimè obseruauit: attamen infelix Ego, in prædam, proh dolor, inordinatorum meorum sensuum datus, cum nō minorem, sed strictiorem potius habeam puritatis custodiendæ obligationem, ex culpa tamen mea omnem prorsus murum mortificationis insolenter perrupi, cujus me in presentiarum, cum firmissimo emēdandi proposito, seriò pœnitet.

Dubium non est, pijssime Domine, Oculos modestos ac pudicos, aliquando in æterna illa beatitudine, diuinæ Majestatis tuæ exoptatissimâ visione recreandos esse, Aures dulcissimo Angelorum concentu mulcendos, cœterosque corporis sensus virtutum actibus decoros, tunc præclarissimè & amplissimè in Sanctorum omnium corona remunerandos fore, Quapropter ex nunc contendam, vt eos per continuam virtutum exercitationem hîc temporaliter sic refrenem, vt illic æternaliter lætificari mereantur, qua in re humiliter tuum præsentissimum exposco auxilium.

Expen-

Expendens mecum Domine, vniuersa hæc transitoria instar Cursoris velocissimi peruolare, & infinitis vicissitudinibus omni momento eludi, planè insipiens censerer, si meos sensus tàm internos quàm externos seculis istiusmodi ludicris vanè inhærere permitterem, quibus mox, quādo minus suspicabuntur, expoliandi sunt, & non potius per mentis eleuationem eos ad nobilissima bona æterna, quæ tinea nō corrumpit, nec fures vnquam auferre præualent, transferam.

Est omninò sensuum tàm internorum quàm externorum fidelis mortificatio, aptissima dispositio ad omnem vitæ sanctioris sublimitatem præpropera ascensio, idcircò, Deo fauente, hujusmodi exercitio totis conatibus posthac incumbam.

II. Actus Externi.

Concupiscibilem, nec non Irascibilem suam, sub debito freno juxta rectæ rationis dictamen semper continere. Omnem curiositatem Visus, Auditus, Gustus, Tactus, & Olfactus: Item Imaginatiuæ, Cogitatiuæ, Reminiscentiæ, Memoriæ, vigilantissimè semper coercere, ne objectis

periculosis inhœreant. Sensibus repug-nantia, v. g. amara, acria, dura, aspera, vilia, afflictiua, horribilia, dolorosa ac pœnalia, &c. libenter ingerere, Christi Crucifixi causâ & amore. Frequenti le-ctione, memoriâ & consideratione exem-plorum piorum, præsertim propriæ Pro-fessionis, qui asperius ac rigidius vixerūt, secum euoluere, & ad similia animare, ac pro posse, seruatâ discretione, imitari velle. Nullum diem absque actuali aliqua mortificatione sui permittere abire, in ijs præsertim, quæ amplius propriæ sensua-litati repugnant. In omnibus actionibus, moribus, motibus ac gestibus, compositè ac modestè se habere, fugatâ vniuersâ le-uitate ac dissolutione.

Affectus igitur generalis erit ex vtraque tàm Matutina, quàm Ve-spertina Meditatione eruendus: Mortifi-catio sensuum: Cujus rationes Applica-tionis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CHristus Dominus ac Redemptor no-ster innocentissimos suos in ipsa cru-

ce mul-

ce multipliciter affligi permisit; quanto magis Ego amore illius inuigilare debebo indisciplinatorum meorum sensuum immortificationi, ne in conspectu illius reprobus inueniar.

Ratio ex Meditatione Vespertina.

ÆTerna & horribilis damnatorum pœna, jure optimo ad sollicitam sensuum meorum inuitare me debet mortificationem, ne ibidem frustrà lucam & sine vllo fructu, in quo nunc periculosè nimis mihi indulgeo.

ITER TERTIÆ SEPTIMANÆ.

Feria ſecunda.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus Charitatis in Deum & Proximum.

NOuiſti, quod ex veri & ſinceri amoris in Deum pondere, futuræ gloriæ menſura capiatur, tu verò qui huc vſque Deum non modò non amaſti, ſed & odiſti, quandoquidem ejus ſanctiſſimam voluntatem ordinariè, cogitatione, verbis & operibus tranſgreſſus ſis, quaſi abſque vllo pudore aut ſcrupulo; numquid apud temetipſum jam judicatus es in conſcientiæ tuæ tribunali, te hujus gloriæ participem futurum nunquam eſſe?

Quomodo amauiſſes Deum, cum nihil vnquam verè aliud, quam creaturarum

affe-

affectiones, suspiria ac desideria in corde tuo vanè nutrieris, tui Creatoris turpissime oblitus, quem non nisi à longe, vel per transennam, & quidem rarissimè aspexisti, & sic per summam ingratitudinem atque injuriam te ab illo infinito bono absentasti, & instar alterius Cain, à faciè Domini stolidè semper ac periculosè fugisti.

Consueuit inter amantes esse accuratissima rerum omnium similitudo atque conformitas, idem enim cogitant, idem sibi imaginantur, idem appetunt, idem loquuntur, idem sentiunt, idem volunt, idem nolunt, simul dolent, simul tristantur, simul etiam gaudent & lætantur: at tua dissimilitudo atque difformitas cogitationum, locutionum & operationum Deum inter & te, manifesta est, qui ex diametro id studuisse te semper professus es, vt nihil, quod ipsi placeret, exequereris, qui igitur fieri poterit, vt eum amaueris?

Aliud est diligere verbo, & aliud veritate, prior modus hypocritarum est, alter autem fidelium famulorum suæ diuinę Majestatis: Et ideò cum in te charitas Dei prorsus refriguerit, & in nullum opus veraciter exierit, vehementer timeo, hypo-

eritam te potius, quàm ſincerum amatorem hactenus egiſſe.

O quàm anxiè ſancti Deum & ſuſpirijs, & clamoribus diu noctuque inceſſabilibus requirebant, cujus dulciſſimâ familiaritate nec vnius oculi ictu carere poterant, ita vt omninò in illis compleretur illud Spiritus Sancti oraculum: Fortis eſt vt mors dilectio, &c. & ideò in omni ſanctitate ac virtute proficiebant, tui ergo Spiritus profectus retardatio cauſa eſt amoris diuini ceſſatio & intermiſſio.

An fortè proximum tuum amaueris? diſtinguo, turpiter, ſenſualiter, inordinatè, inquietè & beſtialiter, ac ſæpius ſcandalosè, concedo, at ſanctè, caſtè, moderatè, ſecundum voluntatẽ præcepti diuini, & juxta omnem intentionem puram ac Chriſtiformem, nego: Vndè carnalis tuus fuit amor, non ſpiritualis, merè humanus non diuinus, noxius non fructuoſus, reprehenſibilis, non laudabilis, directus in finem perditionis, nõ autem ſaluationis, quod ſummè mirandum ac deplorandum eſt.

Scias certò, quod qui non vult in hac vita mortali amore diuino flagrare, debeat in illa immortali in infernalibus flammis

mis veracissimis in æternum ardere. Vide igitur, vt Deum super omnia ames, & proximum tuum sicut teipsum, propter Deum, vt euentura pericula & tormenta euadere valeas.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De septem verbis Christi in Cruce.

FVit Christi Domini nostri pectus in cruce instar furni ardentis siue æstuantis accensum, amoris ignei globos versus cœlum pro humana salute emittens, vt cœlum ac terram flammis suæ immensæ charitatis inuolueret: Septem autem amoris sui fulgura, præcipuè in ejus acerbâ passione eluxerunt. I. Quando sæuissimis doloribus interius exteriusq; discerptus, persecutorum tamen suorum immanium misertus, ad Patrem suum cœlestem pro indulgentia illis impetranda, fortissimè clamauit dicens: **Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, &c.** Offerens hâc ratione semetipsum hostiã pacificam pro delictis hostium suorum, actualiter eum torquentium, & pro totius

mundi peccatis, ex abyſſo ſuauitatis miſericordiæ ſuæ, vt nos ad veram compunctionem & amorem reciprocum prouocaret.

Animaduerte, quomodo ex hac ineffabili Chriſti in inimicos ſuos obſtinatos patientia ac benignitate alter latronum, qui cum eo crucifixus fuerat, totus immutatus ſit, vt ſcelera ſua vehementer deteſtaretur, coram omnibus innocentiam Saluatoris commendando, ſuam verò culpam libenter inſtar veri pœnitentis propalando, vt etiam confidenter diceret: Domine, memento mei, quam veneris in regnum tuum: quem pijſsimus Dominus ſuauiſsimè recipiens in gratiam, reſpondit ei: Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiſo, &c. Quocirca nulli verè pœnitenti de propria ſalute conſequenda deſperandum.

Stabat tunc juxta Crucem ſanctiſsima Chriſti mater, immenſis Filij doloribus excruciata, cujus anguſtijs indicibilibus compatiens Ieſus, ait illi: Mulier, ecce Filius tuus, &c. quaſi diceret: Dulciſsima & fideliſsima mea parens, noui dolorem ac mœrorem tuum, & extremas anguſtias tuas in his meis acerbiſsimis pœnis, verũ-

tamen

tamen necesse est consummari passionem meam, itaq; dilectum meum discipulum in tui custodem relinquo, qui mei loco tibi filius sit, seseq; tibi subditum ac morigerum præbeat: quæ tamen verba tenerum Christi cor instar gladij acuti secuerant, cum audiret se pro filio Dei, filium hominis, pro Creatore creaturam, pro Magistro discipulum, & pro Domino seruum oportere recipere: Qui dolor amplius creuit, audiens subjungere præ immensitate angustiarum, Saluatorem hæc verba: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? &c. indicans ac protestans, se pro vilissimis & ingratissimis peccatoribus mortem amarissimam pati, quæ intus & foris crudeliter attereretur.

Quia præ nimia pœnarum ferocitate, & immodica sanguinis effusione Saluator noster totus exaruit, altè clamauit (Sitio) non enim solum omnem effudit sanguinem, & quicquid habuit humoris, lachrymando emisit, sed & ipsas ossium medullas consumpsit amoris incendio versum nos: Quod cum perfidi lictores audiuissent, non aliam illi præbuerunt releuationem, quam spongiam felle & aceto

ple-

plenam, adeò damnata fuit ipſorum improbitas, vt nec moribundo parcerent.

Poſt hæc inquit Saluator, Conſummatum eſt, &c. Significans jamjam vniuerſas impletas eſſe Prophetias, Figuras, myſteria, ſacrificia atq; promiſſa de ipſo, multo ante prædicta & ſcripta. Deniq; voce magna exclamauit inquiens: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, &c. quo dicto, cœlum pariter ac terra atq, infern9 validè concuſſa ſunt, ſaxa diſſilierunt, ac monumentis apertis mortui reſurrexerunt, & multis apparuerunt, quæ omnia meritò obdurata ac lapidea corda noſtra ad ſalubriter pœnitendum exſtimulare deberent.

Hujus diei diuina præſentia conſtituetur: Chriſtus in Cruce agonizans: Et pro memoriali ſequentibus actibus ſtabilietur.

O Dulciſſime Domine mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia ex immenſo diuinæ charitatis tuæ incendio pendens ex crucis patibulo, inimicis tuis ignoſci poſtulaſti, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.

O ſua-

O ſuauiſſime Domine mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia pro mea ſalute non ſolum ab hominibus, ſed etiam à Patre tuo cœleſti derelictus exclamaſti: **Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?**

O mitiſſime Domine Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia propter ſalutem generis humani præ nimia ſiti in cruce exareſcens dixiſti: **Sitio:** & non niſi amariſſimâ felle & aceto potatus fuiſti.

O dilectiſſime Domine Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia inter acerbiſſimos tuos cruciatus in Cruce pijſſimæ Matris tuæ recordatus, eam diſcipulo Ioanni commendaſti, inquiens: **Ecce Filius tuus, Ecce Mater tua.**

O miſericordiſſime Deus meus, Ego N. vt ſupra, &c. Quia latroni tecum Crucifixo & reſipiſcenti Paradiſi januam aperuiſti, dicens: **Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiſo.**

O fortiſſime Triumphator mortis Ieſu mi, Ego N. vt ſupra, &c. Quia cum clamore valido dixiſti: **Conſummatum eſt.**

O Innocentiſsime Ieſu Chriſte, Ego N.

vt

vt ſupra, &c. Quia benedictiſsimam animam tuam in manus Patris tui cœleſtis commendaſti, dicens: **Pater in manus tuas commendo Spiritum meum:** & inclinato capite ſpiritum emiſiſti.

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

Quantoperè Deus ab hominibus diligi deſideret.

VVlt omninò Deus ab hominib⁹ amari, ideoquè peculiare, illis ſumméque obligatorium præceptum dedit, quo præcipit, vt eum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus virib⁹ diligerent, id eſt, quâ fieri poteſt, maximâ perfectione, nullatenus amorem hunc erga eum limitando, ſicut nec ſuum erga homines limitauit.

Eſt hoc præceptum amoris aliorum omnium fundamentum, cum ſit ſupremæ virtutis actus, primum in meritis, & efficaciſſimum atque vtiliſſimum, nam cauſa eſt, cur cœtera mandata obſeruentur, viresque confert omnia bona cum ſuauitate exequendi, & quàm citiſſimè ad altitudinem perfectionis aſcendendi.

Mere-

Meretur certè Deus Ter Opt: Max: vt propter se ipsum ardentissimè diligatur, quamuis nullum hac in parte expressum mandatum haberemus, maximè cum tot quotidianis beneficijs ab illo adornemur; quibus ad illā fortissimè trahimur, nouis amorem suum diuinum muneribus incessanter in cordibus nostris accendens, ne ab illo deficiamus, imò & suppliciorum æternorum minis ad hoc impellens, quādoque nouerit, neminem nisi suo amore decoratum, ad cœleste regnum admissum iri.

I. Actus Interni.

COmplacent mihi, & cordialiter exulto Domine Deus meus, in omnibus tuis diuinis attributis, præsertim in tua Omnipotentia, Sapientia, Bonitate, Iustitia, Misericordia, Pulchritudine, & in alijs tuis infinitis perfectionibus, sed vel maximè in inscrutabili & ardentissimo tuo amore, quo me indignum peccatorem circumplecteris.

Dulcissime Domine Deus meus, complacet mihi, & cordialiter opto tibi, totum illud bonum infinitum gloriæ & ho-

noris

noris tui, quod in temetipſo habes, & in æternum ſemper habiturus es.

Benedictiſsime Domine Deus meus, condelector & complacet mihi illa admirabilis, ineffabilis, & ſublimiſsma communicatio trium diuinarum perſonarum ad inuicem, gaudens pariter, quod tàm immenſus & infinitus ſis, quem nulla prorſus comprehendere valeat Creatura.

Nobiliſsime Domine Deus meus, lætor valdè ob infinitum illum amorem, quo te ipſum amas, amaſti ſemper, & in æternum amaturus es; Condelector quoq;, quia vniuerſæ Creaturæ, etiam ſpiritus beati, nequeant te ſufficienter amare, ſicuti mereris, reddendo gratias tuæ infinitæ Majeſtati, quod te ipſum in infinitum diligas.

Liberaliſsime Domine Deus meus, vehementer gaudeo de omnibus theſauris inexhauſtarum gratiarum, quas communicaſti humanitati ſanctiſsimæ Chriſti Domini, cujuſmodi fuit ſingularis gratia miracula patrandi, & corda hominum ad te efficaciter attrahendi.

Excellentiſsime Deus meus, gaudeo, quia nos omnes Creaturas tradideris Verbo Incarnato in hæreditatem, vndè valdè

dele-

delectatur ob ſatisfactionem quam habet in animabus Iuſtorum.

Glorioſiſsime Domine Deus meus, te ipſum tibi ex tenerrimo amore offero quàm humillimè in gratiarum actionem, pro omni gloria, honore ac beatitudine quàm poſsides, & pro omnibus donis & gratijs, quas largitus es, & adhuc tuis Creaturis largiturus es, tàm in cœlo, quàm in terra in omnem æternitatem.

Vlterius pijſſime Domine Deus meus, omnes meos proximos tui causâ & amore, propter te, & in te, ſicut conuenit, & ſicut præcepiſti, ſincerè ſemper amare ſtudebo, quod vt ritè à me fiat, ſingularem tuam gratiam ſuppliciter ſemper imploro.

II. Actus Externi.

Quò ad Deum,

VEhementer & crebrò aſpirare ad viſionem ac fruitionem Dei in cœlo. Studere continuæ Dei præſentiæ, ipſam actibus anagogicis fouendo quàm amantiſſimè. Verſus diuinum Sacramentum crebras pias genuflexiones & inclinationes facere, cum humillima adoratione

Q ejuſ-

ejuſdem. Ex fide viua ſibi repræſentare incomprehenſibilem Majeſtatem Dei, cœlũ & terram adimplentem. Aſſueſcere ex omnibus viſis, auditis, diuinam aliquam elicere perfectionem, vt indè in amorem Dei eleuetur. Omnes ſuos greſſus & actus, atque vniuerſas ſuas internas cogitationes, veluti teſtes integerrimos adhibere deſiderij, quo Deum intimè amare peroptat. Frequenter ad Deum mentaliter ſuos deprecatores deſtinare pro cœleſti illius amore obtinendo, præſertim D. Virginem, S. Ioſeph Nutritium Chriſti, S. Angelum Cuſtodem, Ordinis proprij Sanctos, & ſuos Tutelares, qui dum vel dormis, vel alicubi occuparis, tuas interim vices agant, Deum intenſiſſimè amando. Quæcunque agis bona, dicis, vel legis, vel audis, &c. eò dirigere, vt in amore diuino amplius & amplius proficere valeas.

Quò ad amorem Proximi.

Orare fideliter tàm pro viuis quàm pro defunctis, & in hunc finem auguſtiſſimam deuotius accipere Euchariſtiã. Dum offertur occaſio, proximum ſolari, inſtruere, commonere, promouere in bono, rectè illi conſulere, ſuccurrere in periculis

& ne-

& necessitatibus tàm spiritualibus, quàm temporalibus pro posse, & similia plura misericordiæ opera ipsi libenter exhibere. Proximum non temerè judicare, neque irridere, neque infamare, non odisse, neq; perperam de eo suspicari, neque permittere, vt illi ab alijs similia per injuriam fiant. Proximorum defectus & errores æquanimiter & patienter Christi amore tolerare. Omnibus omnia fieri, vt omnes Christo lucrifaciat. Meminisse probè omnium conditionum Christianæ charitatis exercendæ, & eas in opere & veritate adimplere, quas Apostolus his verbis recensuit, dicens: Charitas patiens est, benigna est charitas, non est ambitiosa, non æmulatur, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Ita tamen amare proximum, vt si quæ in illo sint imperfectiones, in te non transferantur, quod vtique fiet, vbi in timore Domini sollicitè ambulaueris.

Affectus igitur generalis erit ex vtraq; tàm Matutina, quàm Vespertina Meditatione eruendus: Dei & Proximi Dilectio: Cujus rationes Applicationis ſunt ſequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

ADeò nos amauit Chriſtus Dominus, vt non tantùm pro nobis immeritis mori dignatus ſit, ſed inſuper etiam pro ſuis Crucifixoribus Patrem in Cruce interpellauerit ad indulgentiam obtinendam, Cur ergò non & Ego pro viribus meis ex ipſius gratia tantæ ejus charitati, tàm quòad ipſum, quàm quòad proximum meum reſpondere contendam?

Ratio ex Meditatione Veſpertina.

CVm dulciſſimus Redemptor noſter à nobis, licet viliſſimis peccatoribus, tàm impensè redamari deſideret, non video, cur tàm ingrati eſſe præſumamus, vt non ſolùm ipſum propter ſe, ſed & proximum noſtrum propter ipſum, & ſicut nos ipſos, amare detrectemus.

Feria

Feria tertia.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus rectæ ac Deiformis intentionis in omnibus exercitijs.

IN omni virtutis exercitio turpiter semper defecisti, at præcipuè in intentione pura & Deiformi, ita vt plerumq; non nisi te ipsum, tuamq; commoditatem & amorem proprium ac sensualem gustum, etiam in sanctissimis functionibus explicitè & implicitè quæsieris, omnemque splendorem ac decorem virtutis hac ratione incautè & insipienter perdideris, quod valdè dolendum est.

Fuerunt hactenus opera tua bona non absimilia ligno putrido, & à vermibus corroso, quod modicè concussum non nisi puluerem & fauillam emittit, sic & exercitia tua pia à vermibus humanorum respectuum arrosa, examine veritatis discussa, non nisi puluerem veritatis exspirant, totâ eorundem meritorum substantiâ consumptâ.

Non te miseret laborum tuorum, quos tot annis propter impuram, curuatam & distortam intentionem tuam in religione

frustrà impedisti? anne semper (vt dicitur) papyraceus tantùm, & non realis regni cœlestis hœres eris? quando igitur tot infortuniorum spiritualium plenus resipisces, vt cum certa spe futuræ beatitudinis in hac vitâ mortali viuere possis?

Dic mihi cur non potius amore Dei opereris ea quæ operaris, quàm tui amore, cum ab illo, non à te ipso mercedem expectes laboris? quid de te ipso facis? an te vilem creaturam pretiosiorem, quàm Deum altissimum, creatorem ac benefactorem tuum æstimas? quàm monstrosum & portentosum est hoc facinus tuum, seu vt melius atq; expressius loquar, quàm stultum est cor tuum excœcatum, qui Deo viuenti honorem debitum non defers?

Non solum velle debes quod Deus vult, sed etiam eo modo quo vult, & eo fine, quem ipse intendit, aliàs quicquid feceris, licet in se sanctissimum & optimum, illi tamen ingratissimum erit, ac summè displicebit, quamobrem taliter vniuersæ actiones & operationes tuæ semper ordinandæ sunt, vt oculos tuos semper in gloriam diuinæ Majestatis collimatos retineas, sicubi ab ipsâ aliquando coronari desideres,

O ho-

O homo futilis ac vanissime, Deiformis à te intellectus, Deiformis voluntas, Deiformes sensus tàm interni quàm externi, Deiformia omnia exercitia tua corporalia & spiritualia à te requiruntur, & tu in verbo ludis, vt pro Deiformitate difformitatem operum tuorum introducas, & sic Deum blasphemas, proximum scandalizas, & temetipsum infœliciter ꝯstituis, ac finaliter perdis.

Recordare miser vltimæ angustiæ in hora mortis tuæ, qualiter tunc te vixisse optares, quàm sincerè ac fideliter cum Deo tuo egisse, quem mox omnium operum tuorum rigidissimum ac justissimum Iudicem conspecturus es, & jam cum adhuc emendandi tempus suppetit, omnes tuas sinistras intentiones excute, & sapientius ac circumspectius viuere incipe.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De Morte & apertione lateris Christi.

INnocentissimus Dominus IESVS Christus, in ara crucis pro totius mundi salute oblatus, & crudeliter dilaniatus, demùm

mùm inclinato ſacratiſſimo ac doloroſo ſuo capite, quaſi Matri ſuæ dilectiſſimæ aſſiſtenti, & vniuerſis hominibus vltimum vale diceret, jam hinc diſceſſurus, tradidit ſpiritum: Aſpice gratiſſima ejus membra, licet emortua, omnem tamē adhuc amorem ac beneuolentiam exhibere, extenſa manent brachia ejus, vt nos circumplectantur, oculi demiſſi ſunt, vt nos intueantur, caput inclinatum, vt nos oſculetur, hiantia omnia vulnera, vt ad illa ingrediamur, totuſque nobis relictus, vt ſe totum noſtræ reconciliationis cum Patre ſuo cœleſti mediatorem eſſe indicaret, ſatisfaciens pariter amoris poſtulationi & juſtitiæ diuinæ, dum ſcilicet Patri æterno voluntatem ac ſpiritum, Iudæis corpus excruciandum, peccatoribus ſanguinem, carnificibus veſtes, & diſcipulo amantiſſimam Matrem reliquit, quæ ſingula nos in reciprocam ardentiſſimam charitatem ejus rapere deberent.

Mira multa ſub Chriſti morte euenerunt, nam velum templi ſciſſum eſt, terra tremuit, ſaxa diſsilierunt, & Sol obſcuratus fuit, vt per hujuſmodi portenta, cœlum ac terra obſtinatam Iudæorum incredulitatem arguerent, & his euidentibus

ſignis

ſignis Chriſti crucifixi Deitas innoteſceret: Ad terribilem eam vocem Redemptoris in cruce exſpirantis, contremuerunt atque ingemuerunt creaturæ omnes, optantes & ipſæ pariter cum Creatore ſuo occumbere, tanquam jam ipſas tæderet vltrà tàm rebellibus & ingratis hominibus famulari.

Compatiamur itaque Saluatori noſtro, ne nos muta elementa in Iudicij die condemnent, præſertim cum noſtra ſint peccata, quæ ipſum crucifixerunt.

Petebant inſtanter Iudæi à Pilato, vt ob ſolemnitatem Paſchalem inſtantem, permitteret crucifixorum crura frangi & tolli, quod cum obtinuiſſent, ad Ieſum peruenientes, ejus crura non fregerunt, quia jam mortuum viderunt, ſed vnus militum, Longinus nomine, latus ejus dexterum lanceâ aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua.

Hanc carnificum barbariem in Dei filium, oculis præſentibus Chriſti mater intuebatur, vndè facilè licet colligere, quàm acerbo dolore indè affecta fuerit. Quapropter D. Bernardus: Reuera, inquit, Mater dulciſſima, doloris gladius ſcidit animam tuam, quando lancea crudelis filij

tui transfixit latus, non enim ſua illic, ſed tua potius anima erat, itaque præcipua es Martyrum omnium, quandoquidem immenſus internus dolor tuus, externa martyrum vicit tormenta.

Interim cum D. Auguſtino adſpiciamus oſtium illud in arcæ latere, vulnus Chriſti rubicundum, in quod ingrediuntur omnes Creaturæ, quæ à diluuio ſeruātur, contueamur originem noſtram, Patrem noſtrum, qui nos regenerauit ad vitam: O beatos illos, qui huc intrauerint, qui hujus dulciſſimi vulneris participes redditi fuerint, quorũ corda Chriſti lancea ſic contingit, vt deinceps perenni ferueant charitatis ardore.

Hujus diei diuina præſentia ſtatuetur: Chriſtus in Cruce lanceâ militis perforatus: Et pro memoriali actibus ſequentibus ſtabilietur.

CLementiſſime DEVS meus mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia etiam poſt mortem duris clauis confixus aliquamdiu in cruce permanſiſti, vt nos tardè nimis ad te redeuntes patientiſſimè præſtolareris.

Pijſſime Domine Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c.

&c. Quia tua tenerrima brachia in Cruce extendisti, vt omnes seriò pœnitentes, amorosissimâ tuâ beneuolentiâ reciperes & amplecterereris.

O amantissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia pretiosum tuum caput in cruce inclinasti, vt nobis indignissimis peccatoribus, pacis & reconciliationis osculum imprimeres.

Benignissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia lanceâ militis tibi sacratissimum latus tuum aperiri permisisti, vt in illo desolatos omnes & afflictos paternè ac misericorditer, tanquam in loco refugij tutissimi, colligeres, & blandissimè foueres.

Misericordissime Domine Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia ex aperto latere sanguinem pariter & aquam emisisti, vt nos & à peccatis nostris ablueres, & sitibundos abundanter satiares.

Suauissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia totum te pro nobis in ara crucis Patri cœlesti obtulisti, vt nos totos tibi in sempiternum tuum obsequium attraheres.

Medi-

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De Dei in omni loco & re præſentia.

ADeò magnus & immenſus eſt Deus, vt infinitâ ſuâ magnitudine, creaturas omnes repleat, & non magis intimè rebus vniuerſis inſit, quàm ſuæ ipſius eſſentiæ, non tamen mundo hoc ipſe arctatur, imò licet infiniti forent, immenſitate ſuâ infinities eos excederet, adeò vt nemo ejus effugere queat manum, cum per eſſentiam, præſentiam & potentiam omni loco præſentiſſimus ſit, & omnes Creaturæ ejus magnitudine repleantur.

Deus certè nos circumdat vndique, ſicut natantem piſcem oceanus, intra ipsũ quippè mouemur, viuimus & ſumus, quæ ſanè conſideratio efficaciter nos deberet excitare, ne extra nos ipſos diuagaremur, quandoquidem Deum in nobis ipſis ſic præſentem habeamus, quaſi ejus domus eſſemus, in qua nos exterius ab ipſomet cinctos, interius verò à Majeſtate ſua penetratos videmus.

Exhibet ſe Dominus in cœlo electis ſuis facie ad faciem, magnifica in illis & glorio-

gloriosa operando, & in aliquibus etiam terræ locis particularia nonnunquam suæ manifestæ præsentiæ signa exhibet, imò in purioribus quibusdam animabus stupendos & prodigiosos suæ præsentiæ effectus producit, cujusmodi sunt illustrationes extraordinariæ, colloquia diuina, & mysteriorum cœlestium reuelationes, quæ omnia & singula nos ad diuinam Majestatem præsentem cautè valdè & reuerenter attentos reddere deberent.

I. Actus Interni.

GLoriosissime Domine mi Iesu, desidero posthac, te donante, ex animo præstare ad purissimum obsequium sanctissimi Nominis tui, quod omnes Sancti tui, qui vel sunt, vel fuerũt, vel futuri sunt, vnquam ad majorem gloriam tuam, cogitatione, verbo & opere præstiterunt.

Excellentissime Domine mi, opto tibi prorsus ex hoc momento vsq; ad supremum halitum vitæ meæ, ex totis viribus meis, & ex tota anima mea, modo quodã integerrimo ac tibi placidissimo perseueranter seruire, & nunquam amplius deficere.

Iustissime Domine Deus meus, & quid aliud

aliud velim aut prætendam in omnibus meis cogitationibus, locutionibus & actionibus, nisi vt tua præclarissima voluntas in me semper executioni mandetur; in cuj9 veritatis testimonium, quoties posthac respirabo, toties hoc desiderium coram te & Sanctis tuis renouari volo.

Faxit infinita bonitas tua, vt in vniuersis meis agendis & omittendis manifestissimè semper eluceat, quanto zelo ac feruore tuum vnicum beneplacitum purè spectauerim, ad te solum amandum, & multipliciter laudandum.

Dilectissime Domine Deus meus, virtutem in me Magnetis transferri exopto, vt ex meis dictis & factis, omnes confestim animæ, inseparabili amoris tui diuini glutine cohæreant ad diuina tua mandata perfectissimè obeunda, & omnibus tuis sanctissimis inspirationibus acquiescendum.

Nobilissime Domine, omninò me felicissimum reputabo, vbi in hora mortis meæ, in foro conscientiæ meæ inclaresceret, totam meam vitam præteritam, diuinissimæ tuæ vitæ rectiformiter semper correspondisse, absque dubio enim tunc arrham sempiternæ beatitudinis ad tuum

Tri-

Tribunale mecum afferrem, & securè tibi adstarem, quod vt fiat, suppliciter per amarissimam passionem & mortem tuam te rogo.

II. Actus Externi.

Antequam quicquam agatur, siue in ipsa actione, habere semper præ oculis innocentissimam Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum vitam, tanquam Idæam perfectissimam, quòad cogitata, verba & opera, in quam identidem sollicitè respiciatur. Inter operandum discutere aliquoties conscientiam, an ad regulã rectiformis intentionis procedatur. Vigilanter respectus omnes humanos ac sinistros declinare, omnem vanitatem abhorrendo, etiam minimam. Asiduè ac veraciter sibi imaginari, Deum vt justissimum Iudicem sibi adstare, vt vel supplicia ob sinistram, vel prœmia ob rectam intentionem decernat. Iuuabit quoquè arbitrari viuaciter, illam forsitan actionem, quâ occupatur, totius vitæ suæ postremam fore, quâ peractâ ex hoc statim mundo emigrandum sit.

Affe-

Affectus igitur generalis erit ex vtraq; tàm Matutina, quàm Vespertina Meditatione eruendus: Intentio in agendis Deiformis: Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

QVicquid Christus Dominus fecit & passus est, totum hoc ad gloriam Patris sui cœlestis, & ad meam salutem fecit & passus est, Idcircò & Ego vniuersa ad solius ipsius honorem & amorem principaliter semper agere conabor.

Ratio ex Meditatione Vespertina.

DEus omnipotens & vbiq; præsens, omnium mearum cogitationum, locutionum & operationum, accuratissimus Inspector, Iudex & testis est: Quocirca semper & vbique illius recordari, & ejus amore & causa operari meritò contendam.

Feria

Feria quarta.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus Orationis mentalis, præſentiæ diuini, Officij diuini, Roſarij Beatiſſimæ Virginis, & ſimilium.

DIc obſecro, quot jam in annis ad diuiniſſimum orationis exercitiũ coram æterna & incomprehenſibili Majeſtate Dei, nõ majori cum reſpectu ingredi præſumpſeris, quàm ſi viliſſimus aliquis ruſticus, omnis generis ſordibus coinquinatus & ſœtens in putridum aliquod vaccarum ſtabulum tenerè, & ex nera incolita conſuetudine, abſque vlla præ meditatione, inſulſos pedes inferret? Similis enim, proh dolor, & non major fuit in te, per omnem vitam tuam, erga ſummum Deum in hoc vſque momentum culpabiliſſimus reſpectus.

Quid miraris, ſi poſt multorum annorum orationem, vix modicũ aliquem, aut fortè nullum orationis fructum collegeris! cum immundam plerumque, & diuerſis vitijs & immortificatis paſſionibus oppreſſam animam ad ſanctum illud exerci-

ercitium, attuleris? quis enim vnquam ex agro ſpinis irretito, lapidibus indurato, & lolijs ſuffocato (quantumuis bono ſemine inſperſo) fœcundos puri tritici manipulos collegit? chariſſime, vbi nulla eſt mortificatio, ibi nec vlla reperitur oratio, quæ ſe mutuo ſuſtentare debent.

O infeliciſſimam ſortem tuam, qui ex clariſſimo lumine cœcus: ex lautiſſima & pleniſſima menſa famelicus: ex angelico tripudio mœſtus: ex lauacro puriſſimo & efficaciſſimo immundus: ex ſchola diuinæ ſapientiæ ſtolidus & ignarus: ex theſauris cœleſtibus pauper & egenus: ex ſpirituali palæſtra totus carnalis: ex ſanitatis officina infirmus: atque ex loco vitali mortuus ſemper es egreſſus, eo quod inſtar araneæ venenoſæ, ex floribus & fructibus ſanctiſſimæ orationis, non mel donorum cœleſtium, ſed propter infatuatam & malignam indiſpoſitionem tuam, vitiorum & miſeriarum omnium ſentinã exſuxeris.

Alij ſub orationis exercitio, propter intenſiſſimum feruorem velut aquilæ ad cœleſtium contemplationem ſubleuabãtur, tu inſtar buffonis aut talpæ, ob frigidiſſimam tuam ſegnitiem & languorem ſpiritus, non niſi rerum terrenarum turpiſſi-

pissimis glebis semper inhœsisti, & in Dei injuriam sensualium appetituum tuorum impuris vaporibus semper absq; vllo progressu animæ tuæ inuoluebaris, eo quod omni labori, aduersanti tuæ carnalitati parceres, neque temetipsum excitares ad virtutem, vndè semper orans nunquam orabas, quia semper per instabiles creaturas, creatore relicto, insipienter & perniciosè huc vsque diuagabaris.

Memento non minus principalem tuarum miseriarum causam extitisse, si non perennem, saltem frequentissimam aut ordinariam Dei obliuionem in te, quæ ingratitudo tua adeò enormis est, vt nullâ eloquentiâ humanâ sufficienter exaggerari possit; quid enim fœdius & indignius homine rationis capace, Dei sui vel ad momentum obliuisci? sine cujus peculiarissima assistentia ne momento quidem temporis in rerum natura præseruari valet, quin statim in infœlix nihilum redigeretur?

Sed nunquid recordatus es aliquando Dei? fateor, at quomodo? à longè nimium, quasi nihil ad te spectaret Deus, ejusq; ope non indigeres, & ideò ad ipsum rarissimè sincero corde aspirasti, quod delictũ

tuum, ignorantia & impietate plenum, quàm graue & iniquum ſit, tecum corde mœſto ac doloroſo quæſo expendas ac corrigas, ne præter omnem exſpectationem, in pœnam hujus contemptus Dei, in ejus ineuitabilem furorem incidas, & æternâ morte plectaris.

Recitaſti nihilominus officium diuinũ, penſum Eccleſiaſticis, & perſonis religioſis omnibus conſuetum, ſed ô dolor; ô pudor; ô irriſio Diuinæ Majeſtatis; ô ludibrium vitæ ſanctæ; potuit ſanè iſthæc recitatio tua magis propriè nominari porcorũ grunnitus aut blaſphemia, aut ſcenica aliqua actio, quàm pia oratio, vbi verba & eloquia diuina, & Spiritus Sancti oracula in ore tuo impuro & indeuoto proſtituta potius, & profanata fuerunt, quàm ad Dei honorem pronunciata, quæ nil minus reuerentiæ & attentionis ſiue compunctionis præ ſe ferebant, quàm fabuloſa aliqua & ridicula alicuj⁹ ſimiæ in medio foro geſticulatio, & hoc in conſpectu Dei omnia ſcientis & videntis, ad quam veritatem comprobãdam, Angelum tuum cuſtodem in teſtimonium inuoco; qui tibi actualiter adſtitit, & ſecretis inſpirationibus te frequenter reprehendit, & fruſtrà ad ſa-

niorem

niorem mentem per internos remorsus toties, toties, toties, reuocare dignatus est, cui tamen nunquam obedisti.

Quod si de Missæ sacratissimæ auditione loquamur, vt in plurimùm adeò vagabundus, & in mille negotia diuisus ei adstitisti, vt ab insensibili lapide vix differres, corpore quidem præsens, animo verò & corde indè remotissimus, vt etiã quamcunque sæcularem distractionem excederes: quod idem prorsus de verbi diuini auscultatione dicendum erit.

Sed heu me, quâ præparatione, quâ mentis recollectione, quâ compunctione, quâ cordis puritate, quâ fidei viuacitate, quo spiritus feruore, quo desiderio & amore, quâ compositione & reuerentiâ externâ, quâ humilitate & peccatorum tuorum dolore, ac firmo emendationis proposito ad diuinum sacrificium celebrandum accesseris, pudeat te non solùm reminisci, sed & multo magis de re hac loqui, siquidem speculum viuum, & imperfectionum, & omnis indeuotionis, ne dicam dissolutionis, te præbueris semper, vt nec Deum neque homines in exercitio diuinissimo viliter obeundo verereris, quod omnem stuporem & admiratione͂ vincit.

Si in grauioribus functionibus & obligationibus, non tantùm qua Christianus, sed etiam qua Religiosus, tàm impiè & perfidè te gesseris, quid de recitatione Rosarij Beatissimæ Virginis, & cultu peculiari Sanctorum, &c. & similibus operibus supererogatorijs ac voluntarijs judicandum erit? quæ sicut temerè frequenter, absque præuia ponderatione assumpsisti, sic & leuiter quoque absque vllo Dei respectu reliquisti, nimirum, vt te in statu monastico non nisi arundinem vento agitatam fuisse, passim absque verecundia testareris, qui non modò nullam veram virtutem acquisieris, sed ne quidem ejus gustum vnquam probaueris.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De depositione Christi à Cruce, & sepultura ejus.

LVgubres valdè exequias Beatissima Virgo, cum cœteris amicis Redemptoris nostri, eo defuncto celebrarunt, o quanto cum desiderio ac deuotione Mater pijssima sui Filij crucem est amplexa, sangui-

guinem illius pretiosum ex vulnere lateris emanantem cum aqua, reuerenter excipiendo, quàm amanter corpus exanime ac diuinum suis brachijs pectori materno appressit! vbi certè viscera ejus nouo sunt compassionis dolore lacerata, anima verò tanquam cera igni admota, amore penitus liquefacta est.

Proruit tota in faciem Christi deturpatam, ac sputis fœdissimis hostium coinquinatam, eam calidis suis lachrymis non modò abluens, sed & vbertim irrigans & exosculans, edensq; ad singula vulnera illius innumerabiles gemitus & singultus mœstissimos: Qui Virginis dolor mirus videri non debet, ait enim D. Augustinus: Quis illic Angelorum sibi temperare potuit à lacrymis, cum Regem ac Dominum suum tàm fœdâ ac turpi morte absumptũ viderent? & Deum immortalem in humana natura mortem oppetijsse conspicerent?

Inter has angustias corpus Christi sacratissimum cum omni reuerentia, & innumeris cum lachrymis sepulchro nouo in lapide exciso illatum est: Recessitq; indè domum Virgo tristissima, cum suis deuotis comitibus, assumptis secum præcipuis

quibuſdam inſtrumentis, quibus Filius dilectiſsimus fuerat interemptus, nempè clauos, ſpongiam, coronam ſpineam, & aliquid terræ, pretioſo ejus ſanguine madefactæ, vt perpetuam ac recentem memoriam acerbæ mortis vnigeniti ſui retineret, ac meditaretur, abſens quidem corpore, ſed corde & anima cum illo, in ſacro monumento ſtrictiſsimè ſemper conjuncta hœrens.

Hujus diei diuina præſentia ſtatuetur: Chriſtus Dominus de Cruce depoſitus: Et pro memoriali ſequentibus actibus confirmabitur.

DVlciſsime Saluator mundi, Ego N. vt ſupra, &c. pro lamentabili illo myſterio depoſitionis pretioſi corporis tui de Cruce, & brachijs doloroſæ Virginis Matris tuæ recepti.

Amabiliſsime Redemptor mi, Ego N. vt ſupra, &c. Quia pro mundi ſalute mortuus in patibulo crucis vndiq; rigefactus, facie pallidâ, ſanguine & ſputis illitâ, oculis clauſis, ore aperto, linguâ cruentâ, & toto corpore laceratus permanſiſti.

Benigniſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. propter diuinum ac roſeum

ſeum tuum cruorem, quo crux recenter madefacta & ſuperinfuſa ſtillabat.

Sanctiſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. propter memoriam coronæ ſpineæ ex venerando tuo capite, & clauorum durorum & oblongorum ex nobiliſsimis tuis manibus extractorum.

Pijſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupta, &c. propter deſolatiſsimam illam Proceſsionem, à ſacroſancta & mœſtiſsima Matre tua à loco Crucifixionis vſq; ad ſepulturam in exequijs tuis inſtitutam.

Innocentiſsime Domine mi Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia à mœſtiſsima Matre tua in ſepulchro nouo reconditus fuiſti, ſindone mundiſsima coopertus.

Clementiſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. ob memoriam doloroſi reditus in Hieruſalem benedictiſsimæ Genitricis tuæ ex monte Caluariæ, ferentis in pallio ſuo ſtillas pretioſi ſanguinis tui ſecum.

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De Dei, hominibus ſe communicandi, deſiderio.

DEus infinitè bonus, summam suam bonitatem hominibus liberalissimè cõmunicat, & nihil magis desiderat, quàm vt anima suorum thesaurorum cœlestium copiosissimè particeps fiat, cupitque in ejus intimo centro habitare, velut zelosissimus benefactor, ingentibus & inexplicabilibus momentaneis beneficijs illam remunerans.

Habet Deus plures modos sese communicandi, nempè per gratiam, quâ homines & Angelos, suos filios & amicos charissimos constituit, & cohæredes Christi, in æterna beatitudine reddit: Insuper se communicat per charitatem vnà cum cœteris virtutibus & donis supernaturalibus, infusam in cordibus nostris, in quibus immensa ejus bonitas singularissimè elucet: sed & vnione illâ miraculosâ & indicibili in Eucharistiæ Sacramento testatum facit, quàm liberaliter semetipsum nobis & copiosè tradiderit, vt hanc bonitatem super omnia perfectissimè semper amaremus.

Prouenit hoc vehemens Dei desiderium hominibus se communicandi ex eo, quod absque vlla comparatione magis amet hominem, quàm alias creaturas, quē

ad

ad ſuam imaginem & ſimilitudinem condidit, quæ ſimilitudo etiam naturaliter amorem cauſat, in cujus confirmationem etiam proprium ſanguinem per acerbiſſimos cruciatus ſpargere, imò & mori non dubitauit, vt hac infinitâ ſuâ charitate hominem arctius ſibi colligaret, & perfectius vniret, quod beneficium ineffabile nullis vnquã encomijs dignè valet efferri.

I. Actus Interni.

Domine mi Ieſu Chriſte, quandoquidem deuotæ orationis ſtudium, aliud haud eſſe cognoſcam, quàm ſpirituale quoddam conuiuium, cui animæ famelicæ perpetim aſsident, vt epulis æternæ ſalutis exſaturentur, omnem profectò operam nauabo, vt perenniter orem, ne fame peream.

Eſt pia & humilis oratio, in Deum, mentis noſtræ jugis eleuatio, & illi⁹ quoddam alloquium tùm familiariſsimũ, tùm delitioſiſsimum, quapropter illi quàm accuratiſsimè intendere debebo, vt cœleſtibus diuinæ ſapientiæ illuſtrationibus perfundar, & citius hujus ruſticiſsimi mundi ignorantijs, ac pernitioſis erroribꝰ exuar.

Tu ipſe juſsiſti, & palàm dixiſti, ô veritas

tas æterna Iesu Filij Dei: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem; hoc oraculum memoriæ meæ impressum hærebit, siquidem dubitari nequeat, orationem feruentem, esse velut murum æneum fortissimũ contra vniuersa tentationum jacula, ne perfodi possit.

Omninò Domine mi, posthac cum Apostolo tuo Paulo in cœlis conuersari desidero, vndè omnem spiritualem prosperitatem & sempiternam felicitatem exspecto, tunc enim mihi in tua misericordia securè confidere licebit, quando orationis puræ exercitium à me non remouero.

Domine Iesu Christe, ostende mihi obsecro, qualiter & quàm fructuosè orare debeam, & da, vt sine intermissione orem, hac namque ratione ante januam largifluæ bonitatis tuæ excubabo instar miserrimi mendici, stipem anxiè requirentis, vt tandem non pro meis solùm, sed etiam proximorum necessitatibus subleuandis, misericorditer exaudias.

En Domine mi, jam orabo, ne quæso elongeris à me, sed humiliter te inuocantem propitius respice, & quia miserationes tuas multiplices super hunc me indignum

gnum famulum tuum pluere non dedignaris, idcircò perenniter ad te suspirabo, sine te enim ne momento quidem temporis viuere valeo, neq; etiam volo, proindè intende precibus meis licet immeritis, ne præ dolore ac mœrore extabescam.

II. Actus Externi.

INprimis quòad orationem vocalem, siue obligatoria sit, vt officium diuinum, siue supererogatoria, vt Rosarium D. Virginis, & alia similia, deuotè, tractim, attẽtè ac reuerenter cum omni interna recollectione, & externa corporis compositione persoluere. Deuotiunculas quasdam pias, ritè ordinatas, suis locis & temporibus discretè peragere, absq; tamen multiplicitate vel obligatione graui, ne cor & caput lædantur vel obtundantur, & sine vlla causa, aut ex mera leuitate aut inertia non facilè interrumpere aut negligere. Quod attinet ad orationem mentalem, & rerum cœlestium meditationem, illam suis temporibus fideliter & feruenter exequi, excusso omni spiritus languore, & spiritus diuini motiones internas sollicitè aduertere ac custodire, & in praxim emittere. Præsertim autem Passionis Christi

myste-

myſteria jugiter expendere, cum omni humilitatis & gratitudinis affectu. In Dei præſentia perenniter ambulare.

Affectus igitur generalis ex vtraq; Meditatione tàm Matutina, quàm Veſpertina eruendus, erit: Orationis vocalis & mentalis diligens ſtudium: Cujus rationes Applicationis ſunt ſequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

QVandoquidem vniuerſæ circumſtantiæ Dominicæ Paſſionis ac mortis, vſq; ad ipſam ſepulturam, practicum quẽdam orandi modum ſuggerant, per illas quippè velut per gradus, ex humanitate Chriſti ad ejuſdem diuinitatem aſcenditur, proindè ſedulò mihi ejuſmodi conſiderationes euoluendæ ſunt, vt vtiliter orem.

Ratio ex Veſpertina Meditatione.

SVppoſito infinito diuinæ Majeſtatis ſeſe nobiſcum dignanter vniendi deſiderio, æquiſſimum profectò eſt, vt humiliter ac fideliter ipſi correſpondeam, cujus medium vnicum ac præcipuum eſt, feruẽter ac jugiter tàm vocaliter, quàm mentaliter orare.

Feria

Feria quinta.

Examen Exprobrationum.

De defectu recessus ac solitudinis.

QVod si verum sit adagium D. Bernardi: E cella ad cœlum quasi semper, ad infernum verò raró aut nunquam, &c. summè metuendum Religioso vagabundo, cellam suam non custodienti, ne forsitan iter hoc aut terminum cœlestis beatitudinis vix aut nunquam inuenturus sit.

Quicquid sit de solitudinis recessu, ad quam ex regula tua strictissimè obligaris, sat notum est, te ejus modicā curam semper habuisse, & si corpore inclusus fueris, corde tamen & cogitationibus tuis plerunque per omnem hujus mundi theatrū excurrisse, & vanissimis hominum tumultibus imaginariè saltem intrusisse.

Modicus amor solitudinis in te semper extitit, quia exiguus fuit orationis, quæ vix alibi quàm in solitudine absque interruptione peragitur, siquidem teste Osea Propheta, Deus animam ad solitudinem vocet, & loquatur ad cor ejus.

Fatere

Fatere nunc veritatem, quoties pedem deuotum& mortificatum cellâ extuleris, & propter incautam moram exterius contractam, indeuotus & corde dissoluto, non sine amaritudine & inquietudine ad eam redieris? vt etiam deuotionem &recollectionem tuam, quam in cella prius reliqueras, post reuersus vix & ægrè, etiam multis dierum euolutis curriculis reperire potueris?

O si priuati parietes enarrare possent multiplices metamorphoses, phantasias &chymeras in publico haustas, quibus sæpè sæpius acerbè, sed ridiculè cruciabaris, crediderim facilè, hanc ipsam inquietudinem tibi efficacissimum stimulum futurũ, vt imposterum omnes omninò etiam valdè vrgentes deserendæ cellæ occasiones quàm circumspectissimè declinares.

Heu quàm carè tibi constitit frequens & indiscreta hominum familiaritas& cõuersatio, ô quot indè animæ vulnera lethalia accepisti, imò quot mortes funestissimas & apertissimas sæpissimè incurristi, quoties cœlum perdidisti, & infernũ inferiorem inuenisti? vociferetur infelix & turbata conscientia tua, quàm scelestissimum malum sit, Deum in solitudine relin-

linquere, & foris ludicras & exitiales creaturas inuestigare.

Tutius est in portu quiescere, quàm frementi pelago agitari; salubrius est Angelorum societate gaudere, quàm humanis fraudulentijs captiuari; dulcius IESV Christo in solitudine frui, quàm mundanis curiositatibus ac vicissitudinibus pasci: Illa bona, & alia quàm plurima & pretiosissima, amor cellæ ac recess[9] parit, hæc autem mala peruersissima generat fuga & odium sanctæ solitudinis, quocirca maturius elige, vt vel in solitudine salueris, vel in mundanis excursionibus miserè periclitéris.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De descensu Christi in limbum.

EST limbus locus quidam subterraneus, ad quem in Veteri Testamento descendebant animæ in gratia morientiũ, quippè cœlum eis subire non licebat, etsi alioquin sanctissimis, propter Adæ peccatum, donec Christus pro omni humana natura occumberet, qui statim atque in cruce expirauit, sanctissima illiũs anima Deitati

vnita, quemadmodum & corpus in cruce remanens, ad præfatum locum deſcendit, vt juſtorum animas, à quibus exſpectabatur, indè eriperet, quod quidem inſigni cum majeſtate multis angelorum millibus comitatus perfecit.

Limbum porrò ingrediens, Tartareæ illæ poteſtates ſe dedidêre, ſubactæ pretioſi ejus ſanguinis virtute, tenebroſaq; caligo carceris illius diſſipata eſt, communicans omnibus ſanctis illis animabus ſuam gloriam, ita vt locus ille repentè in cœleſtem paradyſum mutaretur, congratulantibus omnibus Saluatori cum inceſſabili gratiarum actione, ob labores pro illorum ſalute ac liberatione toleratos.

Domino in limbo adhuc agente, boni latronis anima eodem peruenit, & inſtar reliquarum fuit exornata gloriâ, juxta promiſſum paulò antè illi à Domino factum, quam ipſe mox omnibus inſpectantibus honorauit, quod ſe tormẽtis ac ſupplicijs oppletum, in cruce eſſet confeſſa, nihil morata hoſtium tunc inſultantium furias, tunc juſti omnes generoſam ejus & conſtantem in luce fidei confeſſionem dilaudarunt.

Credendum quoquè eodem tempore,

quo

quo sub terra mansit, Christum, purgatorium spoliasse, plenariam omnibus, quas illic reperit, animabus, ex pretiosi sanguinis sui: effusi virtute, indulgentiam concedendo, Angelis imperans, vt in limbum eas ad se adducerent, cum vniuersali omnium gaudio.

Denique expende rabiem damnatorum, qui Christi descensum in limbum sentientes, se relinqui, neque vllam sui rationem haberi viderunt, præsertim Iudæ, mali latronis, luciferi quoque & apostatarum Angelorum, cum se vinctos & alligatos ibidem per omnipotentiam DEI cernerent, neque vnquam in omnem æternitatem indè liberandos sperare posse, certò jam agnoscerent.

Hujus diei diuina præsentia erit: Christus Dominus ad limbum potenter ac triumphaliter descendens: Et pro memoriali sequentibus actibus stabilietur.

POtentissime Saluator mundi, Ego N. vt supra, &c. Quia de peccato & diabolo in ipso Crucis ligno victoriosissimè triumphasti.

O sapientissime Deus meus, Ego N. vt

ſupra, &c. Quia cum immenſa Majeſtate ad inferos deſcendiſti, ſoluendo ibidem, & tecum magnificentiſſimè educendo antiquam illam animarum ſanctarum captiuitatem.

Benigniſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia lamentabile proſcriptionis humanæ chyrographum propriâ auctoritate dilaceraſti, in ſignum obtentæ reconciliationis apud Patrem.

Excellentiſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia veſtimentis gloriæ tuæ indutus & immortalitatis æternæ, omnes animas in limbo conſtitutas, dulciſſimè recreaſti.

Glorioſiſsime Domine Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia jus cœleſtis hæreditatis nobis tuâ pretioſâ morte reſtituiſti, tot annorum millibus culpâ noſtrâ deperditum.

Sanctiſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Pro lumine gloriæ, quo omnes illas Sanctorum Patrum animas in limbo ſuauiſſimè irradiaſti, & tuis diuinis benedictionibus liberaliſſimè muniuiſti.

Medi-

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De Omnipotentia DEI.

Consistit Dei omnipotentia in hoc, quod facere possit, quicquid in infinita ejus sapiētia fieri posse videt, vbi nulla existentiæ contradictio est, adeò vt plura infinities facere queat, quam hactenus fecerit, atque hæc ipsa mutare, & pro velle suo inuertere possit.

Hæc Dei omnipotentia nulli Creaturæ communicari potest, sed se ipsa sola facit quicquid vult, & quidquid creaturæ etiam omnes separatim facere queunt, quæ tamen sine hac nihil penitus pręstare possunt, siquidem illarum virtus in operando ab omnipotentia Dei dependeat, quæ creaturis singulis aliquam portionē potentiæ limitatę, naturæ suę conformem communicat.

Hæc Dei omnipotentia semper nobis parata est benefacere, cum sit simul & sapientia & bonitas, omnisque boni fons & origo, & ex qua vniuersa beneficia, quæ indies à diuina liberalitate recipim⁹, prodeant, quorum omnium considerationem

homo in perpetuo Dei omnipotentis timore & amore continetur, ne vllâ ratione ab ipso per ingratitudinem diffluat, cernens omnipotētiæ diuinæ brachia amplissima, quæ neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram vnquam valeat euadere, asserente Dauid: Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades, si assumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, illuc me deducet dextera tua, &c. Adeò vt à facie omnipotentis Majestatis Dei nullum prorsus effugium sit.

I. Actus Interni.

O Me felicissimum, Iesu mi, vbi tàm internæ, quàm etiam externæ solitudinis pretium ritè existimauero, est enim velut ager fœcundus omnium fructuum & gratiarum spiritualium, quibus mens saginatur, vt in silentij & abstractionis sanctæ quiete ditescat.

Inquit Prophæta tuus, Domine mi Iesu: Sedebit solitarius, & leuabit se super se: hæc enim est promissionum celsissimarum vna, quâ superabundanter gaudebūt feruentes solitarij, vt ex terrenis hominibus transeant ad immortalitatem Angelorum,

lorum, quam ſanè nobiliſſimam conditionem omnes paſſim deberent expendere.

Amabiliſſime Domine Ieſu, cum tanta ſit cœli amplitudo, immenſitas, opulentia & Majeſtas, ſufficiet mihi impoſterum illac mente exſpatiari, quantumuis corpore in recōdidiſſimis etiam commorer cellis anachoreticis, hinc mihi hominum conuerſatio, te propter, carcer erit, & ſolitudo Paradiſus.

Fideliſſime Domine Ieſu, quàm libenter deinceps amore tui, hominum tumultum ac ſtrepitum euitabo, vt tuis benedictionibus in receſſu ſolitudinis gaudere merear, certè nil mihi hoc charius futurum eſt.

Rectè prorſus mi Domine Ieſu, & veriſſimè aſſeritur; Iuſtus nunquam minus ſolus, quàm cum ſolus; cujus dicti emphaſin, ſi perſpicaci & ſincerâ mente penetrauero, mox intelligam, proſperrimâ me ſorte fruiturū, vbi ſolitariè vixero, quippè qui in conſortium optatiſſimum diuinæ tuæ Majeſtatis & Sanctorum tuorum admittar, nam ſolitudinis ſecreta piè cuſtodientib⁹, fideliſſimè ac dignantiſſimè ſemper ades, ne deſolentur.

Suauiſſime Domine Ieſu, omnem dabo

operam, vt tui amore libenter in cellæ meæ recessu commorer, vt die ac nocte in lege tua meditans cœlestem disciplinam addiscam.

II. Actus Externi.

IVgiter in cella manere, diuinis meditationibus vacando, neque exindè facilè sine legitima causa egredi. Incidentes subreptiones gestorum sæcularium & inutilium, vigilanter à mente & imaginatione excludere, ne à studio diuinæ præsentiæ diuertaris. Semper viuaciter sibi imaginari, qualiter à Beatissima Virgine, ab Angelo Custode, & alijs suis Aduocatis particularibus perenniter de cellæ recessu moneatur. Frequenter meminisse, qualiter ab ipso Christo Domino in cella exspectetur quàm amantissimè, proindè si foràs egreditur legitimè, expedire se quàprimùm, vt festinanter ad dulcissimum suum hospitem reuertatur. Crebrò manifesta pericula extra solitudinem friuolè euagantium considerare, & ex salutari timore cor suum ad pium recessum destinare. Silentio discreto deditum esse. Dum foràs ex quacunque causa vel necessitate egrediendum, plerunque oculis modestè humi

humi declinatis, per internam recollectionem incedere. Quæcunq; otiosa & non necessaria colloquia & alloquia semper fugere, & sollicitè abrumpere.

Affectus igitur generalis ex vtraque Meditatione tàm Matutina, quàm Vespertina eruendus, erit: Solitudinis Studium: Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CVm Christus Dominus immediatè post exspirationem in cruce, non vagabundos in mundo homines, sed potius clausas in solitudine limbi animas præsentialiter visitarit, satis apertè probauit, ipsi solitudinis probari recessum, vndè & mihi ad eam velut omnium virtutum Genitricem aspirandum est.

Ratio ex Meditatione Vespertina.

OMnipotentiæ quoq; diuinæ magnitudo me ad sequendam solitudinem efficaciter impellere debet, ne fortè propter meas tàm internas quàm etiam externas euagationes & distractiones, in illius manus, vniuersarum iniquitatũ vindicatrices periculosè & damnabiliter incidã,

Feria ſexta.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus præcipuarum quarundam virtutum.

INprimis quoad fidei viuæ exercitium, conſtat ex modo tuo viuendi, & vniuerſis actionibus tuis, adeò ſopitam & dormitantem te habuiſſe Fidem, vt paulo minus ab infideli & pagano diſtares, neque enim zelus diuinæ gloriæ te vrgebat, neq; diuina myſteria, quæ indies peragebas, te mouebant, neq; prœmia futuri ſæculi, neque inferorum tormenta tepidis & peruerſis infligenda, vllam tibi vim inferebant, vt Deo viuo & vero, omnia ſcienti & videnti, cum ſpiritu feruoris & compunctionis deſeruires.

Quid de virtute Spei, & in Deum fiducia loquar? cum ſua baſi ac fundamento, quæ fides viua eſt, ſemper caruerint, qualiter enim firmiter & ſecurè ſperaſſes diuina auxilia, finalemq; beatitudinem, cum vix, aut ne vix quidem (tot accumulatis peccatis tuis grauiſſimis in præſentem vſque horam) monſtraueris te veraciter credere, Deum vel eſſe bonorum glorifi-

cato-

catorem, vel malorum seu reproborum justissimum vindicem? quod enim non creditur firmiter, qui fieri possit, vt securè speretur, peccare namq; absq; conscientiæ remorsu, & absque intermissione, est practicè vociferari, neque Deum esse, qui benefacta remuneret, neq; qui malefacta condemnet, ac proindè nihil esse, quod vel timeri, vel in hac vita oporteat, sperari. Itaq; te hucvsq; absq; vlla fide & spe vixisse semper manifestè conuinceris.

Nunquid non ingratissimus quoque semper extitisti? qui æternæ Majestati vix vllam seriam gratiarum actionem pro acceptis ab eadem beneficijs egeris, adeò enim donorum diuinorum immemor fuisti, vt ne plurium quidem mensium spatio recordareris, te creatum & redemptum esse, vel munificentissimæ misericordiæ cœlestis munera gratuitò recepisse, ita vt etiam in meridie solis hujus spontè excœcareris, id est, obrutus & immersus gratijs & fauoribus diuinis, ea tamen ignorares, & turpissimo obliuionis pede conculcares.

Dic mihi, an forte ijs annis, quibus in sanctissima religione vixisti, vel modicum saltem in passionum tuarum mortificatione

ne profeciſſe, quæ in anima tua velut ſentes aſperrimi hucvſq; excreuerunt, totũque tuum hominem interius exteriuſque grauiter ſauciarunt, adeò vt qui cor tuum intueretur, non aliud quàm confuſionis abyſſum cerneret, vel etiam immanium ferarum rugientium lacum conſpiceret & audiret, non ſine ſtupore tàm damnabilis tuæ & ſupinæ negligentiæ in grauiſſimo ſaluationis negotio.

Amor tuus proprius & ſenſualis jam pridem te in turpiſsimam abduxit ſeruitutem, & duriſsima oppreſſum ſeruitute vinctum retinet, muroq; aheneo prauorum habituum circumvallauit, ne fortè ad ſalubriter pœnitendum perrumperes: Heu quàm infelix eſt iſta ſeruitus! vero animũ opus eſt & reſolutione, diuinumq; humiliter implorandum auxilium, nam qui Lazarum reſuſcitauit quatriduanum ab inferis, te quoq; per pijſsimam ſuam miſericordiam reſuſcitabit ad vitam ſpiritualem gratiæ ſuæ, & omnes hoſtium tuorum laqueos diſſoluet, tu modò viriliter age, pœnitentiæ arma reſume, & contra audẽtior ito, & res optatiſsimum ſortietur exitum.

Patientiæ clypeum etiam perdidiſti, ſeu

vt

vt verius dicam, nunquam habuisti, ex quo tua nulla merita colligo, qui enim cum hostibus suis non congreditur, & patienter ictus excipit, qualiter vincet? quãdoquidem non ex quiete, sed ex bello victoria soleat reportari, & militibus emeritis palma consignetur, tu verò delicatulus nimium miles, pugnæ insuetissimus, ad mollia semper non dura, ad dulcia non non amara, ad abundantiam non inopiam, ad oblectationes & sensuales delitias, non afflictiones atq; dolores, ad recreationes, non ad labores, totius vitæ tuæ decursu impudenter anhelasti, immemor scilicet, turpe esse valdè, sub capite spinoso delicatum esse membrum, & Christum in cruce agonizare, seruum autem ejus in lecto mundanarum commoditatum delitescere.

Ille honoratior in cœlo est, qui plurib⁹ & majoribus cicatricibus, in mundo pro summi Imperatoris gloria acceptis, è bello fortis & magnanimus in choro Sanctorum omnium comparet, deferens secum peracti certaminis illustria signa victoriæ, non qui terga hosti vertit, & miserè occubuit, sicut tibi hactenus contigit, ad illos enim amanter se conuertet Chri-

stus,

ſtus, militum ſuorum fortium ſors, corona & prœmium, dicens coram Angelis ſuis: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tribulatione, &c. ſtatimq; æternâ gloriâ donabuntur; quare maturè tu quoque ad hanc pugnam propera, viriliter certa, abſtine & ſuſtine, ne fortè vacuus meritis in die illa inueniaris, & triſti confuſione in perpetuum plectaris.

O quàm miſerè in te exulauit ſemper Manſuetudinis virt⁹, qua in re mihi comparandus non incongruè videris erinaceo, ſpinis vndique pungentibus armato, quacunque in parte tangitur, ibi aculeos exerit, ita & tu obſitus impatientiæ ſtimulis, tecum conuerſantes ſemper & vbique, & quidem non raro acerbè ſatis læſiſti, verbis, vultu, geſtibus, & quibuslibet alijs modis, non ſine expreſſo ac multiplici ſcandalo proximorum tuorum, vt jure merito te Deo & hominibus inuiſum & exoſum reddideris: Vtinam virtutis hujus excellentiam nouiſſes, quæ ſuauiſsimè cordibus omnium dominatur, nunquam ſanè adeò cruento bello illam perſequereris, ſed potius amantiſsimè amplecterceris.

Quàm irreſignatus ſemper fuiſti Deo

&Su-

& Superioribus tuis illius vices gerentibus? quàm durè ſemper recalcitraſti? cum quanto tui ipſius diſpendio? nunquid equus indomitus currui alligatꝰ vt trahat, ſi reſiſtat, idcirco liber dimittitur, & non potius acerbioribus flagellis laceratur, & ad curſum peragendum etiam inuitus impellitur, & quid aliud ipſi remanet, quàm ſudores, & ictus doloroſi, & ſciſſa pellis? tu ſimiliter quid aliter elicuiſti ex vniuerſis tuis repugnantijs & irreſignationibus, niſi conſcientiæ diriſsimos remorſus, niſi Dei offenſionem, niſi proximi ſcandala, niſi meritorum plurimorum perditionem, niſi virtutum exinanitionem, & innumerabilium imperfectionum colluuiem, &c.

Mores tui diſcoli non minus odioſum te reddunt omnibus, quàm alia vitia & defectus, quibus plenus es, quaſi verò monaſticæ diſciplinæ rigor ad te non ſpectaret, hiſtrionem citius agis, quàm compoſitum ac modeſtum religioſum, tot tuæ nugacitates ac geſticulationes, tot inania, ridicula & jocoſa proloquia, tot impudentes & audaces oculorum tuorum gyrovagationes, tot futiles actiones tuæ, tot leuitates ac præcipitationes tuæ, quid aliud ſapiunt

piunt quàm mundum ? quid aliud innuunt, quàm cor diſſolutum, & à vera virtute, non dicam, Deo, auerſum, atque ab omni timore futuri Iudicij lōgè remotum; fortè in contrario ſenſu Apoſtoli monitū accepiſti, quando ait: Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, &c. quod ſi ita ſit, animaduerte, ne & in illo ſenſu tanquam præuaricator damneris.

Torpor quoque tuus & deſidia in ſpiritualibus exercitijs, tàm obligatorijs, quàm voluntarijs ſiue ſupererogatorijs, ſatis ſuperque innotuit hactenus, quaſi verò non Deo viuenti, ſed inſenſibili aut lapideo alicui idolo tua offerres obſequia, tàm tardè, tàm imperfectè, tàm corruptè, tàm impurè, tàm inconſideratè, tàm remiſsè ac negligenter, tàm leuiter, tàm infideliter, tàm imprudenter, tàm impiè atq; indignè omnia agis, vt potius Deum irridere velle videaris, quàm ipſum honorare, & languore tuo omnem feruorem opprimere machineris, quàm ipſum augere, vndè fit, vt vniuerſa bona opera tua velut ſputum viliſſimum ex Dei ore euomātur, & fortè in flammam infernalem ibidem exurenda proijciantur, quo ſanè permoueri deberes, vt angelicam Diligentiæ vir-

tutem

tutem ſtudioſius impoſterum coleres, omni veterno ſocordiæ ac ſomnolentiæ excuſſo.

Incipientibus in Dei obſequio corona promittitur quidem, ſed non niſi perſeuerantibus ad finem vſque dabitur, teſte Saluatore: Qui ad finem vſque perſeuerauerit, hîc ſaluus erit, &c. millena exercitia pia inchoaſti, in nullo tamen perſeueraſti, quid ergò prœmij ſperare poteris? quid prodeſt ſemper incipere & nunquam finire? ſemper delaſſari, nunquam quieſcere, ſemper laborare, & nunquam recipere mercedem, eo quod non ſicut oportet laboretur, dum in nullo opere benè perſeueratur: Arbor nunquam fructificat, niſi prius egerit radices firmas, ſic anima, niſi in virtutum exercitio per continuationem non interruptam ſtabiliatur, nunquam fructus gratiarum cœleſtium proferet, conſequenter nec perſeuerantiæ coronâ exornabitur, Deus enim iuſtiſſimus Iudex non initialia, ſed ſimilia opera bona remunerat: Vide igitur, quomodo in vinea Domini tui labores, ne forſitan circa veſperum vitæ tuæ, fruſtrà te laboraſſe comproberis, eo quod vel in opere tuo dormitaueris, vel illud deſerueris,

ris, vel imperfectum reliqueris, & sic promisso laborantibus denario diurno, cum gemitu & dolore atque confusione in æternum priueris.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De gloriosa Christi Resurrectione.

VOluit Christus Dominus accelerare resurrectionem suam, vt quàm citissimè dolentissimam Matrem suam, & reliquos amicos consolaretur, discipulos quoque in infidelitatis errore versantes illuminaret, & gloriosi corporis sui lumine mundum illustraret: Prodijt de limbo magna cum Majestate, de morte atq; inferno, quem spoliauerat, gloriosè triumphans, stipat⁹ agminibus Sanctorum tùm Angelorum millium, tùm animarum sanctarum, quas secum eduxerat, concinentium pariter laudes diuinas, multo cum majori jubilo, quàm olim Moyses & populus Hebraicus in transitu maris rubri. Fuit per ejusdem omnipotentiam sanguis illius diuinus per varia loca effusus, penitus collectus, atq; intra venas solitis locis redditus, nimirum ex horto Gethsemani,

ex

ex prætorio Pilati, ex platea amaritudinis, & ex monte Caluariæ: Intrans autem anima illi9 sanctissima corpus suum, eique se jungens, majori illud cum gloria & perfectione transfigurauit, quàm olim in monte Thabor, vnoquoq; vulnere ac plagâ mirificum ex se ejaculante splendorẽ, communicauitque ipsi quatuor excellentissimas dotes, nempè, claritatem, impassibilitatem, agilitatem & subtilitatem, vt etiam sepulchrum illud clausum ac saxeum absq; vlla resistentia penetrauerit ac pertransierit.

Dubium non est, quin omnes cœlestes Hierarchiæ jussu Patris æterni è cœlo ad gloriosum vnigeniti sui triumphum celebrandum descenderint, quia si in die ejus natali descenderint, cum in terram venit moriturus, quanto verisimilius est, illos die Resurrectionis ad triumphum ejus cõvolasse, cantantes & exultantes, dicentesque? Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea, alleluja.

Licet Christus Dominus pluribus se ostenderit gloriosum post suam resurrectionem, potissimùm tamen suæ dilectissimæ Matri ante omnes alios apparuit, quæ ob sui dulcissimi filij mortem acerbè dolebat,

ſpe tamen certiſſima ac viuaciſſima retenta, ipſum poſt triduum reſurrecturum eſſe; Itaq; cum ſanctiſſima Virgo lachrymis, pijſſimiſq; gemitibus filij reſurrectionem vrgeret, tertio die ſummo mane accurrit, ac ſe pulcherrimum, ac ſolis inſtar ſplendidum ei ſe exhibens, choris Angelorum & ſanctarum Animarum ſtipatus, jucundiſſimè apparuit, cui animæ illæ omnes congratulabantur de Filij ſui gloria, actis immenſis gratijs, quod ob labores in vnigeniti ſui nutritione & paſſione toleratos, quodammodo redemptioni earum fuiſſet cooperata, ac proindè illam non tantùm Redemptoris Matrem, ſed & ſuam matrem agnoſcere.

Refectâ deniq; Virgine ſanctiſſimâ cœleſtibus gaudijs ſuperabundantiſſimè à filio glorioſo, à quo de plurimis diuinis myſterijs pariter fuit certificata, & poſt indicibiles mutuos amplexus, Saluator dulciſſimè diſparuit, vt etiam alios ſuos amicos viſitaret ac ſolaretur.

Hujus diei præſentia diuina ſtatuetur: Chriſtus Dominus glorioſè à mortuis reſurgens: Et pro memoriali ſequentibus actibus roborabitur.

GLoriosissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia illustrissima de mundo, carne & diabolo, partâ victoriâ, ab inferis triumphaliter rediisti, tuæque sanctissimæ Matri, & discipulis tuis diuersimodè apparuisti.

Fulgidissime Domine Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia in suauissima tua humanitate indicibiliter, absq; vlla comparatione amplius, quàm olim in monte Thabor, radiasti.

Formosissime Domine Iesu Christe, Ego N. vt supta, &c. Quia post gloriosam tuam resurrectionem, admirabiliter dotes gloriæ sacrosancti corporis tui tuis amicis dignantissimè exhibuisti, videlicet Impassibilitatis, Agilitatis, Subtilitatis & Claritatis.

Potentissime Deus, Ego N. vt supra, &c. Quia in Resurrectione tua per sepulchrum lapideum firmiter occlusum, absque vllo impedimento, in omnipotentia Majestatis tuæ pertransiisti.

Suauissime Domine Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia pretiosissimum tuum sanguinem effusum, ex varijs locis pœnalibus mirabiliter reassumpsisti.

Delitiosissime Domine Iesu Christe,

Ego N. vt ſupra, &c. Quia in ſacratiſſima tua humanitate, quinquè vulneribus manuum, pedum ac lateris tui, velut tot radijs ſolaribus fulſiſti.

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De infinita Dei Miſericordia.

EST Dei miſericordia infinita, eo quod ejus omnipotentiæ ſit innixa, percurrendo enim vniuerſas Creaturas confeſtim in illis miſericordiæ magnitudo excesſit, ſicut ait Pſaltes; Miſericordia Domini plena eſt terra, &c. & alio in loco: Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus, &c. Quod tamen præclariſsimum attributum multo adhuc amplius & perfectius in conuerſione peccatoris ad pœnitentiam reſplendet, dum omnipotens Deus illum per innumera adminicula miſericorditer ab iniquitatibus ſuis, ad dulciſsimæ gratiæ ſtatum reuocat, imò non infrequenter eum pertinaciter etiam reſiſtentem longanimiter expectat, patienter tolerat, ne finaliter condemnetur.

Hæc eadem diuina miſericordia non in peccatoribus tantùm, verum & in Iuſtis

ſtis clarè manifeſtatur, quos pijſsimè præ-
uenit, ſubleuat, comitatur, & ad mortem
vſq; ſine intermiſsione, ſingulari ſuâ gra-
tiâ, diuinoque præſidio protegit ſemper,
fauoribus, virtutibus, doniſq; cœleſtibus
exornans, vt demum ad altiſsimam glori-
am in cœlo poſsidendam euehat.

Perpendenda ſunt quoque diuinæ Mi-
ſericordiæ continua & oculata inditia
erga vniuerſum genus humanum, quali-
ter ſcilicet Deus noſtrâ aſſumptâ naturâ
noſtris quoque miſerijs compati poſſet,
adeò vt propterea etiam crudelem mor-
tem perpeti dignatus ſit, vndè contigit, vt
medicina, cibus & potus noſter effectus
ſit in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramen-
to, quo in hujus mundi periculoſo deſer-
to peregrinantes, ſpiritualiter nutrire-
mur, ſimul atque ab vniuerſis cucurrenti-
bus animæ ægritudinibus perfectè ſanare-
mur.

I. Actus Interni.

IVſtiſſime Domine Ieſu, omnes qui in
ſtudio currunt, ideò currunt, vt accipi-
ant brauium & coronentur, quapropter
& mihi enitendum eſt, vt deinceps majori
cum feruore, ſedulitate ac perſeuerantia,

in virtutum omnium ſtadio velociter curram, ſicubi promiſsũ æternitatis præmium conſequi decernam.

Omninò fideliſſime Domine Ieſu, te donante, æmulabor æmulatione ſancta, viros tàm Chriſtianę, quàm religioſæ perfectionis prærogatiuâ illuſtres, & velut apis argumentoſa per hortos virtutum volitabo, vt melle ſanctitatis collecto, in perpetuum ſuſtentari valeam.

Ah Domine Ieſu. quis mihi det annos priſtinos & dies antiquos, vt abominabili vitiorum meorum abjectâ ſarcinâ, ad perfectionem, ad quam arctiſſimè obligor, vel vnicum ſaltem gradum ritè faciam? vt tandem aliquando eruditus, cum Senatoribus terræ cœleſtis Hieruſalem, honorificè ſedere merear.

Quando, quando tandem Domine mi, è ſomno tepiditatis meæ euigilabo, vt velut negotiator ſolertiſſimus & induſtrius, verarum virtutum diuitias mihi conquiram, quæ nunquam veteraſcunt, neq; temporis ætate conſumuntur, ſed in ęternum permanent, & à choris Angelicis celebrantur, quibus ornatæ animæ, coram Throno Sanctiſſimæ Trinitatis decenter comparent,

O Do-

O Domine mi Iesu, quanta & quàm acris in memetipso suscitatur confusio, cum virtutum coronam spectabilissimam contemplor, illarum tamen ne vnicam quidem, in me, sedem suam fixisse animaduerto! proindè totis contendam viribus, vt ex gratia tua ad earum diligentem acquisitionem adspirem.

II. Actus Externi.

CAutè suas omnes intentiones & actiones vbiquè & vndiquè circumspicere, & diligenter aduertere vndè procedãt, easq; ad regulam veræ perfectionis reuocare. Consultò nonnunquam vitas Sanctorum minutim contemplari, vt agnoscat, qualiter illos in passionum mortificationibus, virtutumque exercitijs imitari valeat. Nonnunquam cum intimo animæ suæ meminisse dicti illius Apostolici: **Fratres, dum dies est, operemur bonum ad omnes:** ne quando nox mortis instantis nos comprehendat, & operari vlterius non possimus. Identidem sibi lucidissimas in cœlo coronas repræsentare, quæ virtutum meritis inter Angelorum & Sanctorum choros decretæ sunt, & co-

nari (quantumuis cum labore) illas lucrari. Efficaciter sibi persuadere, omnes quotquot ante Thronum Deificæ Trinitatis jam beatissimè jubilant, fuisse aliquando in hoc mundo inclytos virtutum prætensores, vicisse autem, quia vsq; ad vltimum halitum contra diabolum, & carnem strenuè ac viriliter certauerint, ideoque excellentissimè à Deo jam coronari. Desiderare vehementer ad vesperum diei hujus mortalitatis, inter fideles operarios vineæ Domini censeri ac numerari, acquisitarumque virtutum ac perfectionis promissam remunerationem accipere.

Affectus igitur generalis ex vtraq; Meditatione tàm Matutina, quàm Vespertina eruendus, erit: Æmulatio Virtutum : Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

QVod si Ego vnà cum Christo Redemptore nostro gloriosè aliquando ad immortalitatis æternæ gloriam resurgere prætendam, absque dubio prius in hac vita per solidarum virtutum æmulationem

nem renouari, & ex fœtidissimo sepulchro meorum vitiorum, in quo huc vsque lapide peruersæ consuetudinis oppressus & inclusus jacui, per Dei gratiam resurgere debebo.

Ratio ex Vespertina Meditatione.

QVandoquidem infinita Dei misericordia me innumeris excellentissimis suis beneficijs, absque intermissione ad omnium verarum virtutum vigilantissimam sequelam diuersimodè inuitat, omninò mihi (nî ingratissimus videri velim) opera danda est, vt quàm diligentissimè imposterum studio perfectionis & omnimodæ sanctitatis incumbam, vt apprimè dispositus ipsi placere valeam.

Sabbatho.

Examen Exprobratiuum.

De defectibus desiderij quotidiè proficiendi.

NVnquam sanè tepor siue languor in exercitijs spiritualibus inditia esse potuerunt, in via Dei proficiendi, sed potius deficiendi actualiter, prout in te videre

dere eſt, qui ſpeculum es omnis inertiæ atque pigritiæ, cujus peſtilentiſſimum venenum vniuerſas animæ tuæ vires atq; potentias adeò peruaſit, vt citius homini dormienti, picto, ac mortuo aſſimilari debeas, quàm viuo aut ſuimet compoti.

Solent membris contracti interdum officijs manuum pedumq; ſic deſtitui, vt nil ſolidi, nil cõpleti, & debitis circumſtantijs abſoluti peragere valeant, qui igitur tepidum tuum viuendi modum inſpicit, certè omni paralytico contractiorem animaduertit, ſiquidem tuæ omnes & ſingulæ functiones vehementer langueant, & quaſi coſtis fractis humi ſerpant, & jaceant, vniuersâ virtutum generoſitate exſpoliatæ, quomodo igitur ad anteriora profectus ſpiritualis te dicereris extendere, qui ruptus ſanctorum deſideriorum coſtis indies in vitiorum & imperfectionum præcipitia tuapte ſponte defluere cognoſceris, & profundo deſidiæ lethargo ſemper vexari?

Fieri nequit, Frater mi, vt deſiderium oblectationum terrenarum, & deſiderium ſpiritualis profectus ſimul conſiſtant & cohabitent; Quid enim luci cum tenebris? præſertim cum deſiderium profectus ſpiri-

ſpiritualis, ex donatione ſpiritus ſancti promanet, temetipſum igitur judices velim, diſcutiendo tuam tepidiſſimam conſcientiam, an vnquam hucuſq; vlterioris perfectionis & cœleſtium bonorum appetitum in te nutrieris, quandoquidem mētis tuæ tabernaculum omnium teſtimonio non niſi in ſenſualium inclinationum tuarum ſatisfactione defixiſſe conuincaris, in quibus velut in molli ſtrato turpiter & ſine verecundia quieſcere ſolitus es.

Eſt deſiderium animæ feruidæ aliud nihil (quod te quidem pro tui ſtatus grauiſſimâ obligatione latere non deberet) quàm præpropera quædam & feſtina progreſſio in omni genere virtutum, & ſanctimoniæ perfectione, qua anima generoſa indefatigabiliter cum ſancto Propheta Elia vſque ad verticem montis Horeb conſcendit, ardua cuncta ſuperās, vt tandem Deum Deorum in Sion, id eſt, in cœleſti patria videre mereatur, tu autem, qui ſemper in limo profundi ſordidarum imperfectionum tuarum infixus hœres, ſatis ſuperq; declaras, te non ſolum ne modicè quidem in virtutibus progreſſum eſſe, ſed quod verius eſt, neq; progredi adhuc cœpiſſe.

Mirum

Mirum profectò eſt, quod tot Dei ſeruis in ſtadio perfectionis velociter currentibus, & ad brauium accipiendum vehemẽter anhelantibus, te continere poſſis, vt non pariter anheles, & vnà curras cum illis, ne ſolus in juditij die coram ſanctis omnibus inglorius cum intolerabili pudore tui explodaris; quæ eſt ſanè ſpecies quędam vilitatis & animi degeneris inaudita, meritoq; omni vituperio ac reprehenſione digniſſima.

Tandem tandem, ô piger, euigila de ſomno, in quo ſtertis, deſiderium ſanctum acue, & more cerui ſitientis ad aquas gratiarum cœleſtium aſpira, & retia ſomnolentiæ, aliorumq; impedimentorum perfectionis ab infernalibus venatoribus tẽſa, ſaltu celerrimo Magnanimitatis tranſvola, teq; in montem editiſſimum probatorum exercitiorum libra vt ſalueris, ne forte cum vxore Loth in itinere infeliciter ſubſiſtens virtutum, in pœnam ingratitudinis tuæ in ſtatuam lapideam maledictæ obdurationis, juſto Dei judicio, conuertaris, quod ſummè timendum eſt.

Medi-

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De miſſione Spiritus ſancti.

CVm Virgo Deipara Hieroſolymis in cœnaculo cum alijs centum viginti degeret, decurſis quinquaginta poſt reſurrectionem diebus, Spiritus ſanctus ſuper vniuerſum illum pijſſimum cœtum charitate vnitum, feruidâq; oratione diſpoſitum magnificè deſcendit, ſubitò enim audiebatur de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, vt ſcilicet appareret, Spiritus ſancti aduentum, ejuſq; diuinas inſpirationes in animam, non habere diem aut tempus limitatum, ſed ab illius ſanctiſſima voluntate dependere, producens liberrimè ſuas altiſſimas operationes, & modo & tempore, quo lubet, docens & inſtruens nos, magnalia ſua diuina non è terra, ſed ex ipſo cœlo proficiſci, ſicut ſcriptum eſt: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, &c.

Replebat tunc ventus vehemens totam illam domum, vbi erant ſedentes, ad deſignandum Spiritum ſanctum in lege gratiæ,

tiæ, propter merita passionis Christi, superessluenter concedi fidelibus; Et sicut nulla fuit domus illius pars, quam non impleuerit spiritus sanctus, & quidquid suarum partium erat, ita etiam in animã ritè dispositam superessluentissimè illabitur idem sanctissimus spiritus, replens vniversas ejus vires ac potentias cœlestibus suis muneribus. Fuit & vehemens ille vẽtus, ad significãdum impetum & feruorẽ, quo Spiritus sanctus animam ad virtutem impellit, suauissimè licet, & sine voluntatis violentia, teporem omnẽ expellẽdo, & multiplices sanctas affectiones infundẽdo.

Descendit Spiritus sanctus in Apostolos sedentes, vt ostendatur, illum cum vagabundis & distractis morari non posse, quorum deprauata voluntas inconstanter se gerit, & ad inquietudinem sœculi propendet, solum verò descendere super eos, qui secum conuersantur, & virtutum studijs jugiter vacant.

Apparuit in linguis dispertitis, tanquã ignis, sedens supra singulos eorum, ad indicandum, quod non tantùm purificet animas, sed & diuino suo inflammet amore, eas sibi efficaciter vniendo, quibus benè dispositis sua celsissima dona abundanter

ter largiatur, licet diuersimodè, scilicet pro majori minoriue cujuslibet animæ capacitate, juxta diuinæ sapientiæ gratuitam dispositionem.

Hujus diei præsentia diuina statuatur: Christus Dominus gloriosè cœlum conscendens, & indè Spiritum sanctum transmittens supra Apostolos in vnum congregatos: Et stabilietur actibus sequentibus.

DVlcissime Redemptor mundi IESV Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia mirabiliter ex propria virtute ad cœlos ascendisti, & nobis illac aditum dignantissimè præparasti.

Dilectissime Domine Iesu Christe, Ego N. vt supra, &c. Quia nobis promissum paraclytum Spiritum sanctum cœlitus abundantissimè & misericordissimè transmisisti.

Misericordissime Domine mi Iesu, Ego N. vt supra, &c. Quia innumera dona cœlestia sanctarum Illuminationum, determinationum & affectionum, nobis per Spiritum sanctum elargitus es.

Liberalissime Domine Iesu, Ego N.

vt ſupra, &c. Quia in deſcenſu Spiritus ſancti ſupra Apoſtolos, multa magnalia reſeraſti, ſicut, ſonum vehementem, & diſpertitas linguas igneas.

Clementiſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia per Spiritum paraclytum omnes animas puras, humiles, & in oratione collectas, cœleſti amoris flammâ accendis, & ardere facis.

Nobiliſsime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Pro ſeptem præſertim donis Spiritus ſancti, velut tot pluuijs gratiarum cœleſtium in animas defluentibus, videlicet, dono Intellectus, Sapientiæ, Scientiæ, Conſilij, Pietatis, Fortitudinis, & Timoris Domini.

Pijſſime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia corda Fidelium tuorum, pro varietate diſpoſitionis internæ, diuerſimodè quoquè per Spiritum ſanctum ad bonorum operum executionem benignè impellis.

Medi-

Meditationis Vespertinæ Medulla.

De absolutissima Gloria Beatorum in cælis.

GLoriæ magnitudo, quâ animæ in cœlo donantur, adeò excellens est, vt ea majorem Deus efficere nequeat, continet quippè ipsummet Deum, æternarum delitiarum objectum dulcissimum, cujus clara visio omnes beatos felicissimos reddit, & quadam Majestatis diuinæ participatione & conjunctione quodammodo deificat. Ibi Memoria introibit in potentias Domini, eum semper sibi præsentem habens, in cujus abyssum diuinitatis absorbebitur, mirabilium illius semper & assiduè memor. Ibi Intellectus Deo per claram Trinitatis & indiuiduæ Vnitatis visionē plenus erit, ac sine ænigmate ac figura cernet, quomodo Pater generet Filium, & vterq; Spiritum Sanctum producat, videbitque diuinas perfectiones, & cuncta ad oculum mysteria, quæ modò solâ fide nouit, abdita quoque diuinæ prouidentiæ arcana, quibus ad salutem consequendam directus fuerat, perspiciet. Deniq; satia-

bitur insatiabile sciendi desiderium, ex diuinæ essentiæ intuitu, in qua omnia perfectissimè continentur. Voluntas quoq; Deo erit plena, diuinitati ejus continuâ quadam amoris vnione adhærens, ex qua conjunctione ineffabilium voluptatum copiosissimus torrens semper erumpet, quo inebriabitur.

Habent corpora Beatorum quatuor excellentissimas dotes. Prima dos est Claritas, cum admiranda pulchritudine, quādo singuli Beati solis instar meridiani ad similitudinem corporis Christi glorificati fulgebunt, & si quæ in præsenti mortalitate Christi causa & nomine vulnera accepissent, ea tanquam gemmæ pretiosissimæ tunc splendebunt, quorum decore indicibili, sicut & omnium ossium, venarum & arteriarum supra omnem æstimationem & sensum delectabuntur. Secunda dos est Impassibilitas immortalitati conjuncta, hinc eos nulla vexabit fames, neq; sitis, neque vllus dolor, sed æterno vigore sanitatis suauissimè gaudebunt. Tertia dos est Agilitas, quâ fiet, vt anima gloriosa ita corpori suo dominetur, vt ipsum ab vno loco in alium distantem, quàm celerrimè, absque vllâ resistentiâ & defatigatione

tione ac mora jucundiſsimè transferre posſit. Quarta dos eſt Subtilitas corporis glorificati, quâ vitam ſine vllo prorſus cibo & potu ęternaliter tranſiget, ac cœlos, & quodlibet aliud corpus ſolidum ſine impedimento penetrabit, ſicut Chriſtus in Euangelio cœnaculum januis clauſis eſt ingreſſus.

Senſuum quoque corporis gloria & voluptas erit perfectiſsima, nam viſus incredibiliter afficietur tot corporum glorificatorum, præſertim aſpectu formoſiſsimæ humanitatis Chriſti, & Beatiſsimæ Virginis Genitricis ejuſdem. Auditus audiet tenerrima & ſuauiſsima eloquia Beatorum, jucundiſsimumque cœleſtis harmoniæ concentum delicatiſsimè reſonantem. Odoratus recreabitur ineffabili corporum glorificatorum fragrantiâ. Guſtũ dulcedo quædam eximia delectabit, longè perfectius, quàm vnquam in terra potuiſſet ſentire. Tactus denique ſanctis ac puris replebitur delitijs, ita vt ſinguli Beati in oceano omnium voluptatum natent, & immergantur in omnem æternitatem, abſque vlla interruptione aut minoratione. Amen.

I. Actus Interni.

O Me miserum, si nō immortalia semper concupiscam, & ad anteriora desiderium meum extendam, posteriorum oblitus, præsertim cum nouerim, me sub ambiguo mortis imperio versari, quippè qui nec vnius diei, nec vnius horulæ spatium securum habeam, si igitur præsens dies mihi elabatur inutiliter, quis obsecro sponsor erit crastini? Ideòque memet mihi restituere conabor, vt semper in obsequio Dei vigilans reperiar.

Benignissime Domine Iesu, Ex gratia tua statuo firmiter, posthac in via perfectionis progredi, omnesque occasiones vel minimas etiam te offendendi, sollicitè euitare, quem in finem in specula mentis meæ diu noctuque excubias agam.

Pijssime Deus, ex desiderio tibi amplius & amplius placendi singulis momẽtis, diligentiam adhibebo, vt deinceps vniuersa mea opera, actualiter, ad majorẽ Nominis tui gloriam dirigam, & in tua diuina præsentia jugiter ambulem, & sic indies proficiam.

Sapientissime Deus meus, optimè mihi compertum est, illum qui in schola

cœle-

cœlestis tuæ disciplinæ non proficit, hoc ipso deficere, proindè strenuam operam, te juuante, nauabo, vt omnes difficultates occurrentes animosè perrumpam, ne æternæ confusionis notâ in die illa magna & terribili coram Tribunali tuo inurar.

Fortissime Domine Iesu, quantumvis fragilem, vilem ac miserabilem me nouerim, nihilominus tuæ pietati confidēs, indies ad altiorem profectum suspirabo & anhelabo, & cum Apostolo tuo magnanimiter vociferabor deinceps, & dicam: Omnia potero in eo qui me confortat Christus benignissimus Dominus meus & Deus meus, cujus Nomen sanctissimum benedictum sit in omnia sæculorum sæcula. Amen.

II. Actus Externi.

EAdem hîc motiua repeti poterunt, quæ superius in Virtutum æmulatione; Insuper & adjungi sequentia, v. g. Expendere seriò, generosi esse animi, non esse contentum virtutum mediocritate, sed potius ad apicem omnimodæ perfectionis ac sanctitatis anhelare: Meminisse frequenter heroicorum gestorum, quæ olim Sancti perpetrarunt, & ad ipsorum imita-

tationem se excitare. Pectori insculptum retinere, ac perpetim relegere, illud Christi Domini effatum: Estote ergò perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est; id est, incessanter ad majorem indies perfectionem obtinendam progredi.

Affectus igitur generalis ex vtraque Meditatione tàm Matutina, quàm Vespertina eruendus, erit: Desiderium majoris perfectionis: Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

COmmune Sanctorum Patrum elogium est: Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia: Cum enim sit Spiritus vehemens & efficax, omnem languorem animæ abhorret, Quocirca & Ego gnauiter ad diuinum illius impulsum attendere debeo, vt in via perfectionis, desiderij feruentis pennis, ad indies amplius progrediendum, me impelli libenter & obsequenter sinam.

Ratio

Ratio ex Meditatione Vespertina.

IMmensitas quoque, & incomprehensibilitas futuræ gloriæ cœlestis, me acriter instigat, vt indies in cursu perfectionis accelerem gradum, ne me nox comprehendat insensibilitatis ac perditionis.

Dominica,

Examen Exprobratiuum.

De defectibus in cultu Beatissimæ Virginis & Sanctorum omnium.

SOlent debiliores & infirmiores in rebus arduis sapientiorum ac fortiorum requirere patrocinia, ne quid pręsumptuosè, non sine graui dispendio, aggrediantur, & causa turpiter cadant, quâ in re quid stolidius atq; insipientius excogitari poterit, sciens te virorum ac hominum omnium nouissimum, ignorantissimum, vilissimum, debilissimum, & omni virtute priuatum, moliri nihilominus, tuæ debilitati innixum, saluationis negotiũ summè arduum, absq; præsidio & adjutorio robustissimorum Heroum patriæ cœlestis, maximè verò gloriosissimæ Imperatricis

tricis Dei genitricis MARIÆ, ſine cujus interuentu & beneplacito difficilimus aut nullus in cœlum eſt aſcenſus, quod tibi ſeriò valdè expendendum incumbit.

Nunquid non degener filius ille diceretur, qui à Matris ſuæ virtutibus adeò deuiaret, vt nec minimum ſignum in moribus ſuis referret, quo agnoſci poſſet, ſe à tali parente deſcendere? Hoc tibi euenit intuitu Deiparæ Virginis, quam per ſolemnem Profeſſionem in Matrem elegiſti, ſed ab illius deuotione & cultu adeò diſtas per degenerem tuum viuendi modũ, vt nihil minus quàm Beatiſſimæ Virginis filius appellari valeas.

Heu quàm grauiter erras, quod in D. Virginis famulatu adeò torpidum, negligentem & diſſimulatũ te exhibeas, cui mille titulis obligaris, ob innumera accepta ab eadem beneficia, non animaduertens, quod in manu ejus poſt Deum, tuæ ſalutis rota vertatur, & quâ offensâ, Deum pariter, & totam curiam cœleſtem tibi infenſam infallibiliter habeas? quamobrem tibi quàm primùm conſule, & tantam Protectricem tuam, muneribus intimæ compũctionis placa, & tranſgreſſionum antiquarum veniam ab illa humiliter deprecare,

care, vt tibi apud Filium ſuum propter ipſam, in hora mortis tuæ benè ſit.

Quod ſi Diuæ Virgini tàm infideliter ſeruieris, cui poſt Deum omnia debes, certè multò negligentius & remiſſius Sanctos alios coluiſti, ita vt parũ aut nihil fauoris ab illis exſpectare valeas, ſed væ tibi miſero, quid in tot rerum viciſsitndinib⁹, & in tot manifeſtiſsimorum periculorum anfractibus, atq; in tot grauium ac vehementium tentationum turbinibus ages? quorſum confugies? qualiter hoſtes tuos acerrimos euades? abſq; amicorum cœleſtium tutela & propugnatione? præſertim in hora obitus tui, vbi dæmonum incurſus eſt violentior, quis te ex eorum vnguibus eripiet? niſi Sancti tibi ſuccurrant, quorum tamen familiaris nunquam fuiſti in vita quando potuiſti, in morte cum non poteris, quomodo eris? quâ tunc fronte vociferaberis, Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, &c. quandoquidem amicitiam eorum vſq; eò ſemper detrectaueris.

Angeli quoq; tui Cuſtodis aſsiſtentiam, quâ fiducâ in extremis tuis anguſtijs acclamabis, cujus ductum & infidelisſimas inſpirationes, infideliſsimè hactenus excuſsi.

cuſsiſti ? Infelicem te, qui amicum adeò proximum & continuum malitiosè ignoraſti, in quem peſsima ingratitudo tua ſemper abſque pudore vllo deliquit : Sub vmbra certè alarum ejus tunc modicè ſperabis, qui dum hic vixiſti, ejus cuſtodiam & aſsiduam protectionem tàm parui feceris, vt vix dum illius aliquando recordareris, quæ impietas tua haud dubiè rigidiſsimum tibi futurum juditium comminatur.

Meditationis Matutinæ Medulla.

De ſingulari Prouidentia Dei erga ſuas Creaturas.

VNiuerſa beneficia à diuina emanant Prouidentia, quocirca eam tanquam indulgentiſſimam Matrem, Nutricem, Magiſtram, Protectricem & Conſolatricem, omnia charitatis officia exhibētem, agnoſcere perpetuò debemus. Eſt enim primus fons omnium bonorum noſtrorum, tàm corporis, quàm animæ, tàm temporalium, quàm æternalium, & eorum, quæ tàm nos, quàm Creaturæ omnes recipimus, aut aliquādo ſperamus, ſolas enim Crea-

Creaturas respicit, siquidem diuinitas opus non habeat prouidentiâ, quæ in se omnia bona absolutè comprehendit. Ista diuina prouidentia Creaturarum suarum bonum semper procurat, neq; vllam excludit, ita vt in hoc impediri non valeat, nam infinita sua sapientia providet futura antequàm contingant, eaq; dirigit in finem à se constitutum, qui est gloriæ, & misericordiæ, & justitiæ & bonitatis suæ manifestatio. Hæc certè tàm accurata Dei prouidentia, spirituale in nobis deberet excitare gaudium, & magnam præbere fiduciam, nihil nobis quoad corpus aut animam defuturum, si Dei mandatis obsequentes fuerimus.

Quod si Dei prouidentia vsque ad cœli aues & animalia terræ, & pisces maris se extendat, vt necessaria ejs non desint, quanto potiorem hominum ad imaginē suam conditorum curam geret? quos sine dubio in afflictionibus proteget, maximè electos, & ab omnibus tentationibus, dæmonumq; insidijs efficaciter liberabit, vt finem æternæ beatitudinis securè attingant & consequantur, de quo nulli dubiū esse potest, qui amantissimi Dei suauissimum

mum & intimum atq; infinitum amorem erga homines vel tantillum expenderit.

Hujus diei diuina præſentia ſtatuetur: Chriſtus Dominus velut Rex vniuerſalis cœli & terræ, prout ipſe dixit in Euangelio: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, &c. Et ſequentibus actibus confirmabitur.

BEnigniſſime Domine mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia ex infinita tua prouidentia mihi in omnibus velut indulgentiſſima Nutrix, ad animæ meæ ſalutem ſpectantibus, ſollicitè ſemper proſpicis.

Miſericordiſſime Domine Ieſu, Ego N. vt ſupra, &c. Quia mihi non ſolùm ſpiritualia bona, verùm etiam corporalia, quòad corporis & animæ ſuſtentationem, vt tibi ſincerius ſeruirem, largifluè prouidiſti.

Amantiſſime Domine mi Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia omnes alias Creaturas in ſolatium & commodum meum direxiſti, vt in omnibus te laudarem ac benedicerem.

Piiſſime Domine Ieſu Chriſte, Ego

N. vt

N. vt ſupra, &c. Quia nos omnes tuis continuis & innumeris beneficijs, tàm generalibus, quàm particularibus, ſtrictiſſimè obligas.

Fideliſſime Domine Ieſu Chriſte, Ego N. vt ſupra, &c. Quia nos ab infinitis malis & periculis, tàm animæ quàm corporis, vigilantiſſimè ex paterno & infinito tuo erga nos amore protegis.

Meditationis Veſpertinæ Medulla.

De peculiari deuotione erga D. Virginem.

OMni rationi conſentaneum eſt, amare nos & colere B. Virginem, quam etiam ſanctiſſima Trinitas pluris facit, quàm omnes ſimul Angelos & Sanctos: Præterea Dei Mater eſt, qui titulus eam ſuper omnia eminenter euehit, & poſt Deum effert, qui vult ab omnibus eam honorari & amari, ſicut ab ipſo honoratur & amatur: Eſt communis omnium hominum Mater, quorum eſt, amori amando reſpondere, nec ceſſat ipſa hominibus continuò benefacere, pro ijſdem deprecans, illorumq; ſalutis curam velut pia & benigna Mater gerens, ac præſertim clientum

entum suorum peculiarium, quorum magis intimi sunt religiosi, & inter illos Carmelitæ Discalceati, quibus semper adest, & maternum suum auxilium in omnibus necessitatibus promptissimè ac suauissimè offert.

Inquit D. Anselmus, esse præclarum prædestinationis signum, in cultu D. Virginis sedulum esse, siquidem ipsa in cœlo sollicitè suis cultoribus viam salutis æternæ procuret. Hanc incredibilem Deiparæ auctoritatem Spiritus sanctus ostendit, quando fidelibus particularem cultum eam honorandi inspirauit, v. g. quando eam hyperduliâ colunt, qui quidem est honor inferior, quàm qui Deo ipsi, major tamen, quàm qui cœteris Sanctis debetur: Ad hæc quædam diuinitatis epitheta illi adjungantur, quæ ipsi aliquâ ratione congruunt, scilicet, quod nominetur Mater misericordiæ, vita, dulcedo & spes nostra, &c. quæ singula innuunt, sanctissimæ Virgini, post Deum, summam à tota Ecclesia exhibendam esse reuerentiam.

Poterit nos quoq; ad stabilem gloriosæ Virginis deuotionem excitare id, quod commemorat D. Antoninus, Episcopus Florentinus: Meritò inquit, dicitur porta

cœli,

cœli, quoniam per eam exiuit de cœlis ad nos, quicquid vnquam gratiæ venit in mundum: Item, quicquid boni de terris intrauit in cœlum, per hanc benedictam Virginem, nempè fructum ejus IESVM Christum Filium suum intrauit.

I. Actus Interni.

DIlectissime Domine mi Iesu Christe, posthac firmiter propono, sacratissimæ Virgini Matri tuæ vsque ad mortem cum omni reuerentia, fiducia ac deuotione accuratissimè deseruire, & in vniuersis necessitatibus ad illius maternum semper præsidium fidelissimè & quàm humillimè semper recurrere.

Pijssime Domine mi Iesu, ex cordis mei medullio opto, vt vna mecum posthac omnis plebs Christianorum, tuæ serenissimæ ac dulcissimæ Matris patrocinium per fidelissima obsequia perpetim requirat.

Sanctissime Deus meus, potius in profundum inferni demergar, quàm vt deinceps tuæ nobilissimæ Genitrici, debitum vel minimum etiam honorem denegem aut impediam.

Benignisſime Domine mi Ieſu Chriſte, ſit obſecro ex tua ſingulari gratia, in corde meo indelebiliter ſcriptum perenne memoriale intimæ deuotionis, erga ſuperexcellentiſsimam Virginem Mariam Matrem tuam.

Ah Clementiſsime Domine Ieſu, vtinam nunquam tàm tepidus, infidelis ac negligens in obſequio glorioſiſſimæ Virginis Matris tuæ, ac Sanctorum tuorum extitiſſem, cujus ſanè perfidiæ me admodùm pœnitet.

Suauiſſime Domine mi Ieſu Chriſte, faxit infinita bonitas tua, vt impoſterum conuerſatio mea, intentio mea, gaudium meum & recreatio mea, in nullo alio poſt te reperiatur, quàm vt amabiliſſimam miſericordiæ Matrem auidiſſimè ſemper inuocem, ac ſedulò honorem.

Dilectiſſime Domine Ieſu, deinceps intimè ſemper in laudib⁹ & encomijs glorioſæ Genitricis tuæ exultabo, cujus nomen ſupercœleſte velut mel dulciſſimum, perpetim in ore & corde meo hærebit, ex cujus amoroſo affectu, omnes tranſitorias conſolationes generosè deſpicere valeam.

II. Actus

II. Actus Externi.

SAcratissimam Virginem Mariam frequenter, humiliter, amanter, reuerenter, ac fiducialiter, ad omnem propè incessum, his verbis Angelicis salutare: AVE MARIA: Vniuersa opera bona principaliter Deo, deinde quoque ad D. Virginis laudem offerre. Recurrere ad illam semper filialiter in omnibus necessitatibus, velut ad pijssimam & dulcissimam Matrem. Illius cultum fidelem & assiduum, omnibus efficaciter commendare & inculcare. Quotiescunque augustissimam receperis Eucharistiam, toties reuerenter admodùm in ejus sinum maternum, Christum Dominum collocare. Commemorationem D. Virginis quotidianam, sicut etiam Sanctorum Tutelarium, indies deuotè ac constanter persoluere. Illi futuræ mortis horam, sicut & Sanctis Aduocatis, frequenter ac seriò commendare. Rosarium vel paruum D. Virginis Officium, & similes deuotiones, discretè & perseueranter persoluere. Causâ & amore D. Virginis mundissimam semper cordis & corporis castitatem conseruare, & ab omnibus vitijs sollicitè abstinere.

Affectus igitur generalis ex vtraq; Meditatione tàm Matutina, quàm Vespertina eruendus, erit: Cultus exactissimus Deiparæ Virginis MARIAE: Cujus rationes Applicationis sunt sequentes.

Ratio ex Meditatione Matutina.

CVm inter præcipua diuinæ prouidentiæ argumenta versum nos, sit peculiare patrocinium gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ cœlitus concessum, opportune sanè mihi & omnibus fidelibus consulitur, vt in cultu sincero, & intima ac reuerentiali deuotione sanctissimæ Matris Dei indies accendamur & progrediamur.

Ratio ex Vespertina Meditatione.

BEatissima Virgo Maria se omnibus in cœlo fidelissimam Aduocatam, & dulcissimæ misericordiæ Matrem promptè exhibet, quid nî ergò non ingratissimi essemus, vbi in ejus obsequio vel minimum etiam tepesceremus?

Bre-

Breuis directio, quò ad Praxin Superiorum Exercitiorum.

I.

DVm quis manè diluculo euigilauerit, statim corde in Deum directo, ex Meditatione Matutina incidentis Feriæ, Exercitium diuinæ præsentiæ, per totius diei decursum capiat, & constanter assumat prosequendum, videlicet ex aliquo mysterio Dominicæ Passionis, prout singulis diebus assignatur, cum ingenti æstimatione ac reuerentia.

II. Actus illi peculiares cujuslibet mysterij Dominicæ passionis juxta Feriam occurrentem, interdiu loco memorialis pro cujusuis deuotione repetantur aliquoties, ad diuinam præsentiam stabilius cordi sub ipsis occupationibus infigendam, in remedium distractionum multiplicium, quibus mens aliàs à Deo forsitan diuerteretur.

III. Affectus generalis ex vtraque Meditatione, Matutina scilicet ac Vespertina selectus, qui actibus tàm internis quàm externis frequentari debet, vnà cũ suis subjunctis rationibus crebrò euolua-

tur, & in praxin sollicitè emittatur, nullâ prorsus neglectâ occasione, siquidem iste sit Meditationum fructus, & sub cujus energia ac vi, cœtera omnia exercitia tàm mentalia, quàm etiam corporalia fieri operæ pretium est.

IV. Tàm in Matutino, quàm in Vespertino examine Conscientiæ, stricta valdè discussio instituatur, & præfatæ diuinæ præsentiæ manè acceptæ, & affectus generalis indè eliciti, neglectusque omnis absque pœnitentiæ genere sibimet impositæ non pertranseat, cum ingenti propriæ salutis zelo.

V. Quamuis autem in præfatis Meditationibus speciales annotentur & assignentur affectus eliciendi, non idcircò prohibetur, quin non aliæ quoque plures affectiones sanctæ, pro cujusuis majori pietate ac deuotione erui possint, quæ juxta modum prædictorum posteà, quò ad proprios actus tàm internos quàm etiam externos, ad libitum amplificentur, nam supra nominatos affect⁹ ideò apposui, quod libellum hunc pro majori corroboratione disciplinę Monasticę potissimùm composuerim, & hi mihi oportuniores visi sint,

ſint, cœterum cuique liberum erit, juxta monentem Spiritus Sancti impulſum ſe habere.

VI. Poſſet etiam Monitorij loco, per modum ſententiæ, tùm ipſa ſubſtantia præſentiæ diuinæ, per Feriam occurrentem colendæ, tùm Affectus eliciendus ex Meditationibus, tùm denique efficax aliqua Sanctorum Patrum ſententia, quâ affectus commendetur, in vna & eadem chartula aliqua deſcribi quàm breuiſſimè, & coram affigi, cujus iterato aſpectu mens ſuorum propoſitorum Sanctorum recordetur, v. g. Pro Præſentia Dei: (**Chriſtus ſudans ſanguinem pro homine ingrato**) Sententia Sanctorum Patrum, in affectus confirmationem: D. Auguſtinus ait: **Pœnitens ſemper doleat coram Domino, & dolorem cum vita finiat.**

COMPENDIOSVM EXAMEN PROFECTVS SPIRITVALIS, POST EXACTA EXERcitia.

De studio Mortificationis & Abnegationis sui in genere.

QVo spiritu, & quâ determinatione mortificationem & abnegationem huc vsq; assumpserit, qualiter, quomodo & in quibus. An ad particularia descendat, & ad illa, quæ propriæ sensualitati aduersantur. An circa leuiora tantùm, vel etiam grauiora & magis substantialia se consueuerit mortificare. An per gradus incedat, v.g. incipiendo ab exterioribus, scilicet quinq; sensibus corporis, & progrediendo vsque ad interiora, nempè proprium Iudicium & Voluntatem. An magnum sit sui ipsius odium, & quantus adhuc amor proprius.

An

An ſit vehemens inclinatio ad pœnitentiam faciendam, à quo tempore, & qualiter. An ex ſuo juditio & voluntate omnia præſtet. Cum quo fructu ſe hucvſq; mortificauerit vel abnegauerit, aut quem habitum bonum indè acquiſierit.

De Paſſionibus, Imperfectionibus & Peccatis.

AN habitualer adhuc ſuis paſſionibus ſubijciatur, & quibus potiſſimum, à quo tempore. Qualiter certet contra illas, id eſt, quâ in Deum fiduciâ & ſui diffidentiâ, quibuſq; medijs, internis vel externis, & cum quo fructu. An aduertenter ijs ſubijciatur, vel ex impetuoſitate ſubita, & quaſi modo extraordinario, quomodo, quid interueniat, quâ occaſione potiſſimum, &c. Eodem modo fiat diſcuſſio imperfectionum actualium & habitualium, & etiam peccatorum venialium. An nihil æſtimet leuiores imperfectiones. An in ipſò indies creſcant aut decreſcant? quæ? An illis reſtiterit aliquando, & quo animi vigore. Et an Deum ſingulariter pro ijs vincendis quotidiè precetur humiliter, Sanctorumq;, præſertim D. Virginis auxilium requirat.

De Tentationibus.

QVibus ordinariè tentationibus pulſetur, interius an exterius. In qua potiſſimum animæ potentia aut ſenſu corporis. Quomodo reſiſtat, quàm citò vigilanter ac viriliter? An occaſionem præbeat, qualiter? An ordinariè ſuccumbat, cum quanto animæ detrimento, quibus de cauſis? An extraordinariè & diabolicè tentetur, à quo tempore, vbi potiſſimum, quando, quomodo, ex qua cauſa, & qualiter tunc ſe habeat.

De examine Conſcientiæ quotidiano.

AN fideliter hoc exercitium bis in die frequentet, & cum quo ſpiritu, id eſt, an languidè, an feruidè. An ad particularia deſcendat? An ex conſuetudine mera & ſatis craſo modo, abſq; peculiari emẽdandi propoſito, neq; feriò, An magnam ſuarum imperfectionum concipiat diſplicentiam. Quàm firmum ſit emendandi propoſitum. Quoties relabatur & qua de cauſa. An occaſiones peccandi ſufficienter fugiat, tàm internas quàm externas. An cogitationes verba & opera ſua diligenter diſcutiat, & qualiter, etiam interdiu.

De

De Frequentatione Sacramentorum Eucharistiæ & Confeßionis.

QVàm sæpè confiteatur, & cum quâ antecedenti præparatione. An tantùm ex inueterata consuetudine. Cum quanta contritione, & quàm firmo emẽdandi proposito. An clarè & sincerè suas imperfectiones & peccata non palliando dicat Sacerdoti. Cum quanta suimet confusione. An ad Confessionem Sacramentalem accedat quasi ad balneum sanguinis Christi, vt ibi lauetur ab omnibus animæ immunditijs. Quàm sæpè hoc Sacramento sit abusus. An consilia & monita Confessarij diligenter sequatur. Qualiter impositam pœnitentiam, & cum quo Spiritu, compleat. Quem fructum ex tàm frequenti confessione huc vsq; receperit, & an aduertat se indè proficere? sin minus, quàm ob causam? An eadem semper confiteatur plerunq;. Circa Sacramentum verò Eucharistiæ: Quoties communicet, Cum qua præparatione, feruore, fide, timore, puritate & amore, atq; intentione recta, & cum qua deuotione. An cum reuerentia & fide post receptam Communionem cum Deo suo agat, quas gratiarũ

actio-

actiones illi referat. Quem fructum indè hauriat, & qualiter in virtutibus profici-at, se abneget, & cum quo augmento diuini amoris, & decremento amoris proprij, & Creaturarũ omnium extra Deum, &c. Quàm anxiè hunc cibum diuinum atque cœlestẽ desideret. Vbi etiàm de Missâ, &c.

De Præsentia Dei & Oratione Mentali.

QVam diligenter & assiduè Deum ob oculos habeat. An imaginariè, an & intellectualiter, & quomodo seu in quo gradu perfectionis. Quâ diligentiâ vtatur, vt eam deperditam recuperet. An ista præsentia sit habitualis, acquisita, an infusa. Quàm familiariter agat cum Deo quoad actus internos, & cum qua humilitate ac reuerentia, quam recipiat correspondentiam. An semper, vbiq;, & in omnibus operibus Deum præsentem habeat, etiam in conuersationibus & colloquijs. Quoad orationem mentalem: Qualis sit ordinariè. Quæ subjecta meditationis retineat & qualiter. An per discursum purum. An per actus Theologalium virtutum. An per colloquia. An mixta sit contem-

contemplatione meditatio. An pura contemplatio negatiua, & in quo gradu. An illustrationes particulares accipiat, ordinarias vel extraordinarias, siue supernaturales, & circa quæ. An sponte distrahatur, & quomodo dimicet contra euagationes. Quanta cum perseuerantia & fiducia oret, & cum quo fructu. A quo tempore orationi vacet, & quanta cum præparatione, reuerentia & humilitate ad eam accedat. An facilè exercitium orationis intermittat sine legitima causa, & an quasi inuitus ad eam accedat. An impedimenta orationis tàm interiora quàm exteriora diligenter euitet, & quæ nam sint majora. An cum impeditus est, postmodum datâ vel quæsitâ occasione neglectũ orationis ordinarium majori cum feruore compenset.

De Virtutum Exercitio.

AD quas potissimum Virtutes se impelli colligat. Quâ continuatione & diligentiâ, tàm quoad actus internos, quàm externos eas frequentet. An opposita vitia prius agnoscere studeat quibus laborat, vt sic in virtutes contrarias ardentius incumbat. An inter exercitia virtutum

tutum ad actus heroicos eorundem aspiret singulariter, aut circa leuiora tantùm, & sensualitati non valdè contradicentia versetur. An repugnantias occurrentes vincere studeat. An ex mera tantùm consuetudine, segniter virtutes prosequatur. Quantum habeat proficiendi desiderium. An multo tempore maneat absq; vllius virtutis exercitio. Quem hucvsq; fructum perceperit ex virtutum cultu. An ad imitationem Christi & Sanctorum seriò aspiret. An ad quaslibet virtutes promiscuè occurrentes, leuiter animũ applicet, aut magnâ constantiâ in vnius vel alterius virtutis æmulatione procedat. Qualia & quàm efficacia Virtutis exercendæ motiua sequatur. An cum Dei præsentia actuali virtutis exercitationem conciliet. Cum quanta facilitate & suauitate virtutem exerceat. In qua nam virtute sequenda majorem sentiat difficultatem, & qualiter illam superet.

De Officio diuino, & Rosario Beatissimæ Virginis, & celebratione Missæ.

QVâ deuotione, reuerentiâ, attentione, & quo feruore recitet officium diui-

diuinum, & cum quali Dei præſentia. An perfunctoriè tantùm & diſtractè plerunque, præcipitanter, inordinatè, & incompletè. An præmittat debitam directionem & intentionem. Cum qua compoſitione externa, num ſedendo, ſtando, genufle-ctendo vel ambulando, &c. An mentem identidem in Deum eleuet inter recitandum. Quâ pietate ac deuotione erga D. Virginem afficiatur. An ejus Roſarium quotidiè deuotè dicere ſtudeat, & cum quanta reuerentia, fiducia & ſtabilitate. An illius frequenter, amanter, & affectuosè ſemper & vbiq; recordetur. An eam in neceſſitatibus quibuslibet internis & externis ſpiritualibus & temporalibus, promptè & filialiter inuocet. An idem fiat ſuo modo de Sanctis Tutelaribus, & de Angelo Cuſtode. Quâ diligentiâ & deuotione feſta D. Virginis & Sanctorum præuenire ſtudeat. Quâ ratione ipſorum virtutes imitetur.

Circa Miſſam celebrandam. Quo Spiritu mortificationis, compunctionis, deuotionis, & quâ fiduciâ ac humilitate ſe ad ſacrum faciendum præparet. An leuiter illud intermittat, & quàm attentè illud proſequatur. An indulgentias lucrari

cone-

conetur. Quibus illustrationibus internis, vel alijs sensibus diuinis in ipso sacro afficiatur. Quâ fidei viuacitate Christum Dominum sub specieb⁹ Eucharisticis præsentem adoret. Quas gratiarum actiones finitâ Missâ Deo referat. Quem fructum ex illa continuatione Missarum huc vsque hauserit. An ex consuetudine & in plurimum distractè, sine præmeditatione celebrauerit semper.

De Obseruatione Regulæ. Constitutionum, & aliorum actuum Claustralium.

AN Regulam suam & Constitutiones, tanquam si essent præcepta Decalogi, cum omni debita existimatione intueatur. An facilè & absque scrupulo, vel ex prauo habitu illam transgrediatur, quàm grauiter, & à quo tempore, & an cum aliquo scandalo, & aliorum similiter inductione. An vitam suæ regulæ conformem instituat. An de suis Constitutionibus murmuret, eas vilipendat, vel sinistrè interpretetur. An aliquid relaxationis introduxerit, quid illud sit, & an adhuc duret. Quo zelo obseruantiæ regulam

suam

suam propugnet atque defendat. A quo tempore inceperit illam fidelius obseruare. An in causa sit, vt piæ consuetudines introductæ iterum tollerentur, quales, & cur? Circa cæremonias & reliquos actus Claustrales: Quàm mortificatè, vigilanter, diligenter, humiliter, integrè fideliter ac perseueranter se gerat, nempè in refectorio, dormitorijs, claustro, Capitulo, Ecclesia, Confessionali, Recreatione, cella, portaria, Sacristia, horto, & alibi, &c. siue loquendo, siuè silendo, seu stando, seu jacendo, sedendo & ambulando, quanta cum ædificatione, & quàm charitatiuè. Quâ modestiâ foràs egrediatur extra claustrum, & quo cum fructu animæ redeat, seu cum quanto timore & diuinæ præsentiæ continuatione.

De lectione librorum spiritualium, fructuq; verbi diuini.

QVos, & quàm assiduè legat libros spirituales. An ex mera curiositate sciendi, an verò cum proficiendi desiderio. Qualiter & cum quo fructu legat. An obiter absq; affectu bono, & rarius, aut quasi inuitus. An specialiter afficiatur sacrà le-

lectione ex occulto cordis impulsu. An dum legit, consequenter, ordinatè, & sedatè legat. Quos plerunque affectus pios indè eliciat, & qualiter illis inhœreat. An vt intellectum tantummodo pascat, non autem affectum. An sit mutabilis in sacris tractatibus euoluendis, ita vt nullum vnquam fructuosè perlegat. Quibus materijs spiritualibus vel maximè afficiatur. An inter legendum mentem aliquoties in Deum erigat, vt puritatem intentionis custodiat. An lectionem sacram aliâ prophanâ & otiosâ commisceat. An ex lectione semper aliquid in aluearium mentis inuehat, ad suos mores rectè componendos, & identidem refricet, ne illabatur.

De tribus votis solemnibus.

CVm quanta æstimatione hæc vota obseruet, & cum qua reuerentia de ijs loquatur. An summè gaudeat in eorum exercitijs. An oportunitatem sedulò inquirat, vel oblatam libentissimè acceptet, actus illorum perfectè producendi. An illa fideliter & integrè obseruet, aut leuiter, etiam cum scandalo nonnunquam transgrediatur, quomodo, aut qualiter.

Quam

Quam promptè obediat Superiori, vt vices Dei gerenti, & quam hilariter, integrè, velociter, fideliter, ſimpliciter, humiliter, perſeueranter. An cum perfecta voluntatis & intellectus abnegatione. An in omnibus rebus, paruis & magnis æqualiter obediat. An interius murmuret, diſcurrat. An fictè obediat, id eſt exterius tantùm, non interius, verbis, non opere. An ſine ſcrupulo & facilè obedientiam transgrediatur. An alios ad idem vitium permoueat & exhortetur. An habeat perſonarum electionem, vt huic potius, quàm alteri Superiori, in hac potius, quàm alia materia obedire malit.

Quâ caſtitate & puritate mentis & corporis niteat in cogitationibus, deſiderijs, verbis & operibus. An cum vitioſis aut ſuſpectis perſonis libenter conuerſetur. An cogitationibus per theatrum mundi periculosè euagetur. An oculos præſertim cautè cuſtodiat, & aures præ curioſitate, vt ſic ab incidentijs vanis ac turpibus defendatur in omni loco & tempore. An omnem etiam vel minimam occaſionem, non tantum proximam, ſed & remotam zeloſiſſimè fugiat ac euitet, ne aliquam impuritatis labem contrahat.

Quam vigorosè, & cum quanta in Deum fiducia, pro dono castitatis oret continuo. Quàm seriò eam ob causam Beatissimæ Virgini, Sancto Angelo Custodi & Patronis Tutelaribus se quotidie commendet. Quantum mortificet corpus proprium per salubres pœnitentias, ne contra rationem rectam recalcitret. Quàm castè & cautè semetipsum tractet, quoad tactum & compositionem omni in loco & tempore, sub viuâ Dei inspectione, ne vllo modo inquinetur.

Paupertatem Euangelicam siue Spiritus, quàm stricte ac patienter obseruet. An gerat aliquam affectus adhæsionem cujuslibet rei minimæ etiam sanctæ, vt imaginis, &c. An cor inquietum habeat propter aliqua vel subtracta, vel mutata, vel perdita, vel negata. An affectu & effectu realiter & actualiter omnibus renunciauerit, quæ non sunt Deus. An spirituali aliquâ proprietate laboret quoad deuotionem stabilem in communione, oratione & similibus exercitijs anagogicis. An studeat vni Deo, puro & perfecto corde, dimissis & rejectis vniuersis Creaturis, sollicitè ac constanter inhœrere? à quo tempore, quantum in hoc profecerit.

De

De Timore Dei.

AN Deum, omnium etiam minimarum imperfectionum, seuerum & justissimum Iudicem sæpè contempletur, qui ait, etiam se justitias judicaturum esse. An profunda eiusdem Iudicia expendat in cœlo, terra & abysso. An ex timore seruili, puro aut filiali ipsi inseruiat. Cum quâ humilitate & respectu semper coram tàm incomprehensibili Majestate ambulet die ac nocte. An quasi singulis momentis moriturus sua omnia operetur, & statim incorruptissimo Iudici Deo strictam rationem redditurus. Cum quo tremore interno peccata, & peccandi occasiones, etiam omnis generis vel minimas imperfectiones euitet semper & omni in loco. Quantum sub hoc timore hucusque profecerit?

De Amore Dei.

AN sentiat in anima sua augmentum diuini amoris, & in quo gradu. Quâ vehementiâ Dei vnionem desideret, quibus medijs & exercitijs internis illam procuret. An in veritate Deum super omnia amet, excluso quolibet affectu peregrino

& minus licito. Quàm amorosam, continuatam, & familiarem foueat in se diuinam præsentiam. An aliquid extraordinarij percipiat sub exercitio diuini amoris, qualiter, quàm frequenter, in qua specie contemplationis, & cum quo fructu. An inter conuersandum cum alijs de amando Deo libenter agat, vel eos huc inducat, & ex omnibus rebus diuinum amorem eliciat, vt per eas, quasi per gradus quosdam, ad Deum amplius amandum ascendat? An ex diuino amore in charitate proximi roboretur amplius quotidie, eo modo quo licet & decet, vel qualiter in charitate proximi deficiat, vel quantum in vtroq; amore proficiat, & in quo tempore singulariter aut notabiliter. An opera huic amori respondeant.

De Intentionis puritate.

AN Directiones actionum suarum vigilanter producat, cum majori quâ potest, eas perfectione exequendi. An purè Dei gloriam in omnibus suis agendis & relinquendis intendat semper. An ob respectus humanos, aut commodum proprium, aut ob vanam gloriam aut propriam satisfactionem multa operetur? An

inter

inter operandum sua exercitia fortè distorta & minus pura rectificare & purificare studeat, cum qua diligentia & feruore. An hoc exercitium debitè assumat, & cum eâ æstimatione quâ conuenit, & an proficiat.

De Gratitudine ergà Deum.

AN quotidianas Deo gratiarum actiones referat, pro tot ab eo receptis beneficijs & auxilijs internis & externis. An in particulari hujusmodi beneficia tàm generalia, quàm peculiaria diligenter secum expendat, maximè verò beneficia Creationis, Conseruationis, Redemptionis, & Vocationis tàm ad Fidem, quàm ad Religionem.

De Resignatione.

QVàm fuerit hucusque in diuinam voluntatem resignatus? An obstinatè in suo videri ordinariè permāserit. Quam cordis libertatem ex vera sui indifferentia consecutus sit, tam in minimis, quàm in maximis, tàm in prosperis quàm aduersis, in tempore & pro æternitate. An hanc necessariam virtutē pro scopo perfectionis adipiscendæ posuerit. An vltra

aliquid amplius, quàm nudum Dei placitum & sacrosanctam voluntatem in omnibus elegerit semper, & secutus fuerit, & in ea pacificè, absque renitentia & tumultu interno quieuerit. A quo tempore hac serenissimâ & cœlesti pace gaudere cœperit, & cum quo fructu animæ.

Quotidiana Protestatio Fidei, coram Angelo suo Custode, singulis diebus Exercitiorum facienda.

IN nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, Amen. Ego N. vilissimus & indignissimus peccator, protestor in præsentia tua, ô sanctissime Angele mi Custos, cui à diuina pietate in ventre Matris meæ vsq; ad supremum habitum animæ meæ traditus sum custodiendus, quod ex nunc desiderem & velim efficaciter, mori in vera & viua fide Catholica, approbatâ à sancta Matre Ecclesia Romana, in qua pariter omnes Sancti Dei ex hoc migrauerunt sæculo, neq; enim doleo, me jam mori, neq; etiam affecto aut prætendo diutius hic viuere, cum mihi in omnibus & singulis circa me diuina summè placeat dispensatio, cujus immensæ boni-

tati

tati integraliter omne meum velle ſubijcio in tempore & æternitate.

Proteſtor dulciſſime Angele mi Cuſtos, me ex hac vita ſub adjutorio diuinæ gratiæ & tuæ ſingularis protectionis munimine emigraturum, intendendo emori abſq; vlla deſperatione, & abſq; vllo dubio, ſeu fidei catholicæ hæſitatione, adeò vt diuinæ pietati innixum, nec poſſit, nec debeat me demergere in inferni barathrũ meorum multiplicium peccatorum grauitas & iniquitas, quia credo & certus ſum, vnam vnicam & ſolam guttulam pretioſiſſimi ſanguinis Domini mei Ieſu Chriſti, in ligno crucis pro me ſparſi, ſupabundantiſſimè ſufficere, nõ tantùm ꝓ redemptione mei viliſſimi & indigniſſimi peccatoris, ſed & pro totius generis humani ſalute, in cujus diuiniſſimi cruoris valore & efficacia omninò ſaluari ſpero atq; confido.

Proteſtor iterum, quod ſi fortè ex fragilitate mei ſpiritus, quia ipſi comparendum ſit coram tremendo Dei tribunali, vel ex dæmonum improborum verſutis tentationibus, aut ex vehementia ægritudinis corporalis in aliquod delirium inciderem, ſeu (quod Deus auertat) ſignum a-

conetur. Quibus illustrationibus internis, vel alijs sensibus diuinis in ipso sacro afficiatur. Quâ fidei viuacitate Christum Dominum sub speciebus Eucharisticis præsentem adoret. Quas gratiarum actiones finitâ Missâ Deo referat. Quem fructum ex illa continuatione Missarum huc vsque hauserit. An ex consuetudine & in plurimum distractè, sine præmeditatione celebrauerit semper.

De Obseruatione Regulæ, Constitutionum, & aliorum actuum Claustralium.

AN Regulam suam & Constitutiones, tanquam si essent præcepta Decalogi, cum omni debita existimatione intueatur. An facilè & absque scrupulo, vel ex prauo habitu illam transgrediatur, quàm grauiter, & à quo tempore, & an cum aliquo scandalo, & aliorum similiter inductione. An vitam suæ regulæ conformem instituat. An de suis Constitutionibus murmuret, eas vilipendat, vel sinistrè interpretetur. An aliquid relaxationis introduxerit, quid illud sit, & an adhuc duret. Quo zelo obseruantiæ regulam

suam

suam propugnet atque defendat. A quo tempore inceperit illam fidelius obseruare. An in causa sit, vt piæ consuetudines introductæ iterum tollerentur, quales, & cur? Circa cæremonias & reliquos actus Claustrales: Quàm mortificatè, vigilanter, diligenter, humiliter, integrè fideliter ac perseueranter se gerat, nempè in refectorio, dormitorijs, claustro, Capitulo, Ecclesia, Confessionali, Recreatione, cella, portaria, Sacristia, horto, & alibi, &c. siue loquendo, siuè silendo, seu stando, seu jacendo, sedendo & ambulando, quanta cum ædificatione, & quàm charitatiuè. Quâ modestiâ foràs egrediatur extra claustrum, & quo cum fructu animæ redeat, seu cum quanto timore & diuinæ præsentiæ continuatione.

De lectione librorum spiritualium, fructuq; verbi diuini.

QVos, & quàm assiduè legat libros spirituales. An ex mera curiositate sciendi, an verò cum proficiendi desiderio. Qualiter & cum quo fructu legat. An obiter absq; affectu bono, & rarius, aut quasi inuitus. An specialiter afficiatur sacrà le-

lectione ex occulto cordis impulſu. An dum legit, conſequenter, ordinatè, & ſedatè legat. Quos plerunque affectus pios indè eliciat, & qualiter illis inhœreat. An vt intellectum tantummodo paſcat, non autem affectum. An ſit mutabilis in ſacris tractatibus euoluendis, ita vt nullum vnquam fructuosè perlegat. Quibus materijs ſpiritualibus vel maximè afficiatur. An inter legendum mentem aliquoties in Deum erigat, vt puritatem intentionis cuſtodiat. An lectionem ſacram aliâ prophanâ & otiosâ commiſceat. An ex lectione ſemper aliquid in aluearium mentis inuehat, ad ſuos mores rectè componendos, & identidem refricet, ne illabatur.

De tribus votis ſolemnibus.

CVm quanta æſtimatione hæc vota obſeruet, & cum qua reuerentia de ijs loquatur. An ſummè gaudeat in eorum exercitijs. An oportunitatem ſedulò inquirat, vel oblatam libentiſſimè acceptet, actus illorum perfectè producendi. An illa fideliter & integrè obſeruet, aut leuiter, etiam cum ſcandalo nonnunquam transgrediatur, quomodo, aut qualiter.

Quam

Quam promptè obediat Superiori, vt vices Dei gerenti, & quam hilariter, integrè, velociter, fideliter, simpliciter, humiliter, perseueranter. An cum perfecta voluntatis & intellectus abnegatione. An in omnibus rebus, paruis & magnis æqualiter obediat. An interius murmuret, discurrat. An fictè obediat, id est exterius tantùm, non interius, verbis, non opere. An sine scrupulo & facilè obedientiam transgrediatur. An alios ad idem vitium permoueat & exhortetur. An habeat personarum electionem, vt huic potius, quàm alteri Superiori, in hac potius, quàm alia materia obedire malit.

Quâ castitate & puritate mentis & corporis niteat in cogitationibus, desiderijs, verbis & operibus. An cum vitiosis aut suspectis personis libenter conuersetur. An cogitationibus per theatrum mundi periculosè euagetur. An oculos præsertim cautè custodiat, & aures præ curiositate, vt sic ab incidentijs vanis ac turpibus defendatur in omni loco & tempore. An omnem etiam vel minimam occasionem, non tantum proximam, sed & remotam zelosissimè fugiat ac euitet, ne aliquam impuritatis labem contrahat.

Quam vigorosè, & cum quanta in Deum fiducia, pro dono castitatis oret continuo. Quàm seriò eam ob causam Beatissimæ Virgini, Sancto Angelo Custodi & Patronis Tutelaribus se quotidie commendet. Quantum mortificet corpus proprium per salubres pœnitentias, ne contra rationem rectam recalcitret. Quàm castè & cautè semetipsum tractet, quoad tactum & compositionem omni in loco & tempore, sub viuâ Dei inspectione, ne vllo modo inquinetur.

Paupertatem Euangelicam siue Spiritus, quàm stricte ac patienter obseruet. An gerat aliquam affectus adhæsionem cujuslibet rei minimæ etiam sanctæ, vt imaginis, &c. An cor inquietum habeat propter aliqua vel subtracta, vel mutata, vel perdita, vel negata. An affectu & effectu realiter & actualiter omnibus renunciauerit, quæ non sunt Deus. An spirituali aliquâ proprietate laboret quoad deuotionem stabilem in communione, oratione & similibus exercitijs anagogicis. An studeat vni Deo, puro & perfecto corde, dimissis & rejectis vniuersis Creaturis, sollicitè ac constanter inhœrere? à quo tempore, quantum in hoc profecerit.

De

De Timore Dei.

AN Deum, omnium etiam minimarum imperfectionum, seuerum & justissimum Iudicem sæpè contempletur, qui ait, etiam se justitias judicaturum esse. An profunda ejusdem Iudicia expendat in cœlo, terra & abysso. An ex timore seruili, puro aut filiali ipsi inseruiat. Cum quâ humilitate & respectu semper coram tàm incomprehensibili Majestate ambulet die ac nocte. An quasi singulis momentis moriturus sua omnia operetur, & statim incorruptissimo Iudici Deo strictam rationem redditurus. Cum quo tremore interno peccata, & peccandi occasiones, etiam omnis generis vel minimas imperfectiones euitet semper & omni in loco. Quantum sub hoc timore hucusque profecerit?

De Amore Dei.

AN sentiat in anima sua augmentum diuini amoris, & in quo gradu. Quâ vehementiâ Dei vnionem desideret, quibus medijs & exercitijs internis illam procuret. An in veritate Deum super omnia amet, excluso quolibet affectu peregrino

& minus licito. Quàm amorosam, continuatam, & familiarem foueat in se diuinam præsentiam. An aliquid extraordinarij percipiat sub exercitio diuini amoris, qualiter, quàm frequenter, in qua specie contemplationis, & cum quo fructu. An inter conuersandum cum alijs de amando Deo libenter agat, vel eos huc inducat, & ex omnibus rebus diuinum amorem eliciat, vt per eas, quasi per gradus quosdam, ad Deum amplius amandum ascendat? An ex diuino amore in charitate proximi roboretur amplius quotidie, eo modo quo licet & decet, vel qualiter in charitate proximi deficiat, vel quantum in vtroq; amore proficiat, & in quo tempore singulariter aut notabiliter. An opera huic amori respondeant.

De Intentionis puritate.

AN Directiones actionum suarum vigilanter producat, cum majori quâ potest, eas perfectione exequendi. An purè Dei gloriam in omnibus suis agendis & relinquendis intendat semper. An ob respectus humanos, aut commodum proprium, aut ob vanam gloriam aut propriam satisfactionem multa operetur? An

inter

inter operandum ſua exercitia fortè diſtorta & minus pura rectificare & purificare ſtudeat, cum qua diligentia & feruore. An hoc exercitium debitè aſſumat, & cum eâ æſtimatione quâ conuenit, & an proficiat.

De Gratitudine ergà Deum.

AN quotidianas Deo gratiarum actiones referat, pro tot ab eo receptis beneficijs & auxilijs internis & externis. An in particulari hujuſmodi beneficia tàm generalia, quàm peculiaria diligenter ſecum expendat, maximè verò beneficia Creationis, Conſeruationis, Redemptionis, & Vocationis tàm ad Fidem, quàm ad Religionem.

De Reſignatione.

QVàm fuerit hucuſque in diuinam voluntatem reſignatus? An obſtinatè in ſuo videri ordinariè permãſerit. Quam cordis libertatem ex vera ſui indifferentia conſecutus ſit, tam in minimis, quàm in maximis, tàm in proſperis quàm aduerſis, in tempore & pro æternitate. An hanc neceſſariam virtutẽ pro ſcopo perfectionis adipiſcendæ poſuerit. An vltra

aliquid amplius, quàm nudum Dei placitum & sacrosanctam voluntatem in omnibus elegerit semper, & secutus fuerit, & in ea pacificè, absque renitentia & tumultu interno quieuerit. A quo tempore hac serenissimâ & cœlesti pace gaudere cœperit, & cum quo fructu animæ.

Quotidiana Protestatio Fidei, coram Angelo suo Custode, singulis diebus Exercitiorum facienda.

IN nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, Amen. Ego N. vilissimus & indignissimus peccator, protestor in præsentia tua, ô sanctissime Angele mi Custos, cui à diuina pietate in ventre Matris meæ vsq; ad supremum habitum animæ meæ traditus sum custodiendus, quod ex nunc desiderem & velim efficaciter, mori in vera & viua fide Catholica, approbatâ à sancta Matre Ecclesia Romana, in qua pariter omnes Sancti Dei ex hoc migrauerunt sæculo, neq; enim doleo, me jam mori, neq; etiam affecto aut prætendo diutius hic viuere, cum mihi in omnibus & singulis circa me diuina summè placeat dispensatio, cujus immensæ boni-

tati

tati integraliter omne meum velle subijcio in tempore & æternitate.

Protestor dulcissime Angele mi Custos, me ex hac vita sub adjutorio diuinæ gratiæ & tuæ singularis protectionis munimine emigraturum, intendendo emori absq; vlla desperatione, & absq; vllo dubio, seu fidei catholicæ hæsitatione, adeò vt diuinæ pietati innixum, nec possit, nec debeat me demergere in inferni barathrũ meorum multiplicium peccatorum grauitas & iniquitas, quia credo & certus sum, vnam vnicam & solam guttulam pretiosissimi sanguinis Domini mei Iesu Christi, in ligno crucis pro me sparsi, superabundantissimè sufficere, nõ tantùm pro redemptione mei vilissimi & indignissimi peccatoris, sed & pro totius generis humani salute, in cujus diuinissimi cruoris valore & efficacia omninò saluari spero atq; confido.

Protestor iterum, quod si fortè ex fragilitate mei spiritus, quia ipsi comparendum sit coram tremendo Dei tribunali, vel ex dæmonum improborum versutis tentationibus, aut ex vehementia ægritudinis corporalis in aliquod delirium inciderem, seu (quod Deus auertat) signum a-

liquod desperationis aut hæsitationis fidei catholicæ quomodolibet exhiberem, totum illud ex nunc, cujuscunque etiam speciei sit, tanquam plenè mei compos, expressè reuoco, & pro nihilo haberi volo, ac si tale sit, quod sano & integro judicio aduersetur, & idcirco velut indeliberatum & inuoluntarium sit, apertè pronuntio, submittens me interim humiliter ac suppliciter in omnibus diuinæ pietati ac misericordiæ.

Protestor etiam, quod sicut nulli peccatori, veraciter de suis delictis & iniquitatibus contrito, & per sacramentalem Cōfessionem expiato (dummodo illam habere possit) est denegata diuina misericordia, præsertim illa, quæ pro remissione peccatorum humiliter desideratur: sic & ego jam ex toto corde meo illam desidero efficaciter, postuloq; quàm humillimè mihi impertiri, deprecans te suppliciter, Pater æterne, justissime Deus, per merita acerbissimæ passionis & amarissimæ mortis vnigeniti filij tui Domini mei Iesu Christi, & per virtutem pretiosissimi sanguinis ejus, in ara Crucis pro me effusi, item per altissima merita atque orationes gloriosissimæ Virginis ac genitricis ejus MARIÆ, omni-

omniumq; Angelorum & electorum paradisi, vt mihi prodigo Filio tuo, licet immeritissimo, tamen coram te incessanter lugenti & prostrato, hanc concedas gratiam, vt ejus ineffabilem misericordiam consequi valeam.

Suppliciter quoq; te rogo, ô benignissime Saluator mundi, per sacrosancti nominis tui Iesu potentissimam virtutem, vt me indignum recipere digneris, & misericorditer collocare in numero eorum, quos in vltimo die Iuditij saluare in æternum prædestinasti: Dummodo autem æternaliter non excludar à dulcissima facie tua, offero me promptũ ex tua gratia in purgatorio ad omnis generis pœnas pro meis delictis exoluendas: Insuper qui fons es inexhaustus omnis misericordiæ, & Deus totius consolationis, contrito corde ineffabilem tuam bonitatem inuoco, & veniam omnium meorum improbissimorũ peccatorum, quæ vnquam per totius vitæ meæ distractissimæ decursum admisi, omniumq; aliorum defectuum meorum humiliter indulgentiam postulo, & singula peccata, quandocunq; & quomodolibet patrata, propter te Deum meum summè dilectum, cordialissimè detestor, rogans, vt

vt ſicut latronem in Cruce tecum pendentem, publicanum in templo orantem, Magdalenam ad ſanctiſsimos tuos pedes procumbentem non deſpexiſti, ſic nec me miſerum in hoc periculoſo, anxio & postremo animæ meæ conflictu, ad tuam ineffabilem pietatem adſpirantem, deſpicere velis.

His ergo proteſtationibus, coram te, ô ſanctiſsime Angele mi Cuſtos, patefactis, velut in vltimo teſtamento animæ meæ, tibi ſingulariter hanc meam poſtremam voluntatem commendo, vt mihi tria à Domino noſtro Ieſu Chriſto impetrare digneris. I. Vnum ex ſuis pijſsimis aſpectibus in Cruce. II. Vnum ex ſuis inflammatis ſuſpirijs, quæ Patri ſuo cœleſti tranſmiſit tribus illis horis, quibus in cruce viuus & agonizans pendebat. III. Vt ejus ſanctiſſima Virgo Mater, omni gratiâ pleniſſima, dignetur indigno mihi peccatori & infideliſſimo famulo ſuo aſſiſtere, dulciſſimamque maternæ protectionis ſuæ manum in extremo iſto deceſſu meo porrigere, quæ quidem ſingula deſidero, vt vniuerſas inimicorum infernalium tentationes ſecurius vincam, & vt ijs dolores & anguſtiæ meæ mitigentur, peccata mihi

remit-

remittantur, gratiamq; ac diuinam amicitiam in æternum ſine fine obtineam. Amen.

Rogo te vlterius, vt per Angelicam pietatem tuam, mihi tunc vel maximè ſuccurrere digneris, quando jamjam anima mea ex hoc corpore egreſſura eſt, vt tunc per patrocinium tuum inueniam Iudicem non rigidum, ſed placatum ac miſericordem, reſpicientem me oculo ſui diuini amoris, quo pendens in Cruce reſpexit mundi ſalutem.

Denique Sanctiſſime Angele mi Cuſtos, tibi commendo vltimam hanc vitæ meæ horam, vt eam ſollicitè regas, & ab omnibus dæmonum inſultibus atque inſidijs potenter defendas, deprecans te pariter, vt ab hoc momento vſque in finem in omnibus meis neceſſitatibus, tentationibus, atque ſalutis meæ periculis, digneris eſſe mihi fideliſſimus teſtis harum omnium proteſtationum mearum, & fortiſſimus animæ meæ defenſor.

Dominus me reſpiciat & benedicat ✠ & benignam ſuam faciem ad me conuertat.

Dominus miſereatur mei ✠ & ſuam mihi pacem, quæ exuperat omnē ſenſum, concedat.

Domi-

Dominus mihi inutili ſuo ſeruo & miſero peccatori ſuam benedictionem diuinam impendat ✠ Amen.

Benedicat me ✠ Imperialis Majeſtas; protegat me ✠ Regalis diuinitas; cuſtodiat me ✠ ſempiterna Deitas; Foueat me ✠ immenſa Trinitas; Dirigat me ✠ inæſtimabilis bonitas; Regat me ✠ potentia Patris; Viuificet me ✠ ſapientia Filij; Illuminet me ✠ Virtus Spiritus Sancti. ✠. Alpha & Omega ✠ Deus & Homo ✠. Sit mihi iſta benedictio ſalus & protectio ✠ Amen.

Exercitium Crucis, in ſolitudine, vel circa mediam noctem peragendum.

I.

PRocedens humiliter ante altare majus Eccleſiæ, vel honeſtiorem cubiculi locum, vbi affixa ſit pia aliqua imago, genuflexus ſibi imaginabitur, videre ſe benigniſſimum Saluatorem noſtrũ Ieſum Chriſtum, ſub viliſſimi Pilati poteſtate conſtitutum, totum pallidum, ex duriſſimis verberibus tumeſcentem, purpureo ſanguine infuſum, innumeris vulneribus mor-

mortaliter concisum, ferreis catenis innexum, toto corpore quassatum, nudum, frigore trementem, acutis spinis redimitum & perfossum, incomparabilibus doloribus obrutum, ab omnibus derelictum, & ad Crucis funestissimam mortem condemnatum, jamjam publica cum infamia in duorum latronum consortio ad montẽ Caluariæ educendum, & nostri causâ crudeliter enocandum esse, quapropter ex intuitu tanti spectaculi vehementer commotus, magna cum compassione semel lentè Psalmum Miserere recitabit, deplorans sua & totius mundi peccata, quæ sæuissimæ istius tragœdiæ causa extiterunt; rogans humillimè suam diuinam Majestatem pro omnium hominum conuersione tàm ad Fidem, quàm ad salutarem pro delictis suis agendam pœnitentiam: Instabitque humiliter in spiritu, vt vnà cum illo crucis Sanctissimæ iter peragere permittatur.

2.

Gradietur cum Christo cruce onerato per primum latus templi, velut primam plateam Hierosolymitanam, notans in spiritu miserabilem, & præ defectu virium ejus nutãtem ac dolorosum incessum, terram

ram diuino cruore ſignantem, quem cordis ſui inclinatione compunctus & confuſus totus, quaſi ſpongiâ reuerenter colliget, & ſua animæ vulnera eo liniet lauabitque ab iniquitatibus ſuis, cum firmo propoſito, amore Chriſti Domini ſui afflictiſſimi, eas poſthac nunquam iterandi: In fine illius lateris ſiue myſticæ plateæ genuflexus ante Chriſtum Dominum, ejus pedes oſculabitur, ejuſque immenſas gratias referet, non tantùm pro receptis proprijs, ſed etiam pro vniuerſis collatis, cuicunque creaturæ in eam vſque horam beneficijs, recitans Pſalmum Miſerere in cruce.

3.

Gradietur cum Saluatore afflictiſſimo per ſecundum latus, ſiue ſecundā plateam myſticam, lentè intuens ſpineam ejus coronam, ferociſſimè ſacratiſſima illius tempora dilaniantem, compatienſque illi, veniam tuæ ſuperbiæ petes humiliter, nam tuæ propriæ voluntatis, proprijque Iudicij actibus ſemper caput Saluatoris, velut diriſſimis & acutiſſimis ſentib9 grauiter ſauciaſti, vndè amore illius impoſterum te in omnibus abnegabis: In fine autem hujus plateæ genuflexus pro vnione

ne principum Christianorũ, fideique Catholicæ diffusione per vniuersum mundum ardenter precaberis, dicens Psalm. Miserere, &c. vt supra.

4.

Gradietur cum Christo p. tertiam plateam mysticam, fluentem ejus sanguinem abundantissimum ex tot millenis vulneribus considerans, cui compatiens seipsũ totum in anima & corpore sacrificabit, vniuersis creaturis valedicens, & illi soli fideliter posthac inhærens, neque aliud quicquam quàm ipsum, & ejus diuinum beneplacitum nosse velle cupiens: In fine autem hujus plateę genuflex⁹, gemebundo corde, 5. De profundis, pro refrigerio & liberatione animarum Purgatorij recitabit, pro quibus liberandis Christi sanguinem, vulnera, dolores & merita Deo Patri humiliter offeret, ad honorẽ quinque vulnerum ejus.

5.

Demum reuersus ad altare majus, ibidem se cum Christo velut in montem Caluariæ ascendisse, genuflexus conspicabitur, cum illo dolens ac mœrens, vbi ejus sanctissimam quoque Matrem vberrimè lachrymantem cernet, ad cuj⁹ pedes pro-

stratus suppliciter tuorum peccatorum veniam rogabis, imputans tibi ejus doloris acerbissimi causas, ac tandem intuebitur Saluatorem dirissimè supra crucem clauis ferreis à lictoribus immisericorditer configi inter horrenda opprobria, lacunasque viui sanguinis ejus ~~in~~ humum defluere, in quem tua & totius mundi delicta absumenda, magna cum fiducia demerges, expiratoque Redemptore inter derelictiones acerbas, cum pijssimis gratiarum affectibus, acceptâ disciplinâ per spatium trium Miserere, in memoriam trium horarum agoniæ Christi in cruce, inde compunctus recedes.

IN.

INDEX HVIVS LIBRI.

Iter primæ Septimanæ.

Feria secunda.

Feria tertia.

Feria quarta.

Feria quinta.

Feria sexta.

Sabbatho.

Dominica.

Iter secundæ septimanæ.

Feria secunda.

Feria

Feria tertia.

Feria quarta.

Feria quinta.

Feria sexta.

Sabbatho.

Dominica.

Iter tertiæ Septimanæ.

Feria secunda.

Feria tertia.

Feria quarta.

De

Breuis

INDEX.

FINIS.